

Q. K. 358, 15

55 u

II h
1024

B I G A
DISPUTATIONUM PHYSICARUM,
Quarum Prima,

X1861219

DE

INFANTIBUS
SUPPOSITIIS,

vulgò

Wechsel-Bälgen/

Altera,

DE

NYMPHIS

Germanis

Wasser-Niren/

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA


UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

INCL. FACULTATIS PHILOS. LIPSIENS.

*indultu
publicè habitæ*

M. JOH. VALENT. MERBITZIO,
DRESD.

*Jam verò ob Exemplariam inopiam recusa
M. DC. LXXVIII.*



Sumtibus JOHANNIS CHRISTOPHORI MITHII,
Typis CHRISTOPHORI BAUMANNI,

75

Q. 13



RESPONDENTE

JOH. GOTHOFRED. JAHN, Melss. Misn. Philos. Baccal. & SS. Th. Stud.

Die 23. Aug. 1671.

B C. D.

A Ntequam ad thema propositum progressum facimus, breviter insinuare libet, quâ methodo progressuri simus. Nimirum innititur decisio questionis hujus duabus aliis tanquam hypothese-
sibus, quarum utraq; tamen tam perplexa est; ac ipse versipellis, qui eas sua astutia & calliditate movit Diabolus. Aditum igitur per hoc anfractus tortuosus ad ipsa penetralia quarentes, ne dedigneris sequi L. B. Ducemus eâ qua fieri poterit brevitate, atq; tribus tantum Thesisibus, velut periodis, omnem cursum absolvemus, nihil, missis etiam verborum ambagibus, dissimulantes. Tu vero optime JESU, qui opera Diaboli dudum destruxisti assiste nobis tui Spiritus gratia, ut ea meditemur, que faciunt ad tui Nominis gloriam & nostrorum studiorum incrementum.

THESIS I.

Sunt nonnunquam Demones Incubi & Succubi.

§. 1.

Vocabulum *Incubi*, quod ab incubando cum *Augustino Libr. 15. de Civit. Dei cap. 23.* deducimus, in duplici præcipuè significatione legitur.

§. 2. Medicis est quidam morbus vertriculi ἰφιάλης , qui ex obstructione & cerebri humore viscido oriri creditur, quum nempe quædam externa vis quiescentes invadere videtur & pondere suo pressos aggravare. Dicitur etiam iste morbus πιζαλίω vel πιζαίμων ; quod vertunt phantasmatis genus: Quia qui eo corripuntur inani phantasiâ ducti, credunt se opprimi ab homine prægrandi, qui os manibus vehementer ipsis comprimat, ne exclamare queant. Persvasum imò habent, illum à quo opprimuntur, paulatim & quasi ex insidiis per lectum ascendere, mox etiam descendere. Videntur sibi eum etiam audire. *Vid. Paul. Æginet. libr. 3. cap. 16.*

A 2

§. 3.

§. 3. Apud Physicos autem & præcipuè hoc in loco notat cum, qui sub specie virili superveniens incubat fœmina; Schottus *Phys. Curios. lib. 1. cap. 21. p. 83.* & Græcis *μῆν*; Romanis *Faunus*; Horat. *libr. 3. Carm. Od. 18.* Inuus à verbo ineundi, *Delrius disq. Magic. libr. 2. qu. 27. sec. 11. p. 188.* Gallis *Dufius*, vel ut vult *Bodinus libr. 2. Dem. cap. 7.* *Drusius* dicitur.

§. 4. Idem sensus sit de vocabulo *Succubi*, quod nempè sit, qui sub muliebri figura succubans viro muliebria patitur *Schott. d. l.* Vocatur alias *Lamia*, quo de vocabulo *Becman. in origin. p. m. 382.* ita scribit: *Lamiae spectra & phantasmata erant formosarum mulierum specie cum insigni splendore apparentia, quæ sese amore juvenum capta mentiebantur & cum ipsis conversabantur, dum eos perderent atq; devorarent.*

§. 5. His intellectis facile patet de quo sit quæstio: An scil. Diabolus cum fœmininis ac viris possit commisceri & actum venericum exercere?

§. 6. Invenies hic pro utraque militantes probatæ eruditionis viros; ut omninò, si non rationibus magis quam autoritatibus pugnandum esset, res omnis in dubio relinqueretur, & adhuc sub iudice lis sit.

§. 7. Negant, quos *Delrius libr. 2. disqu. quæst. 15.* adducit; *Johannes Wierus, Petrus Martyr, Chytræus, Lerchem. Biermann, Godelmann, Philippus Broideus, Joh. Baptista Porta, & quem Toreblanca libr. 2. cap. 30.* addit *Eugubinus libr. 8. de Perenni Philosoph. cap. 26.* aliique.

§. 8. Pro affirmativa pugnant *Thomas in 2. sent. dist. 8.* *Toletus in Summa lib. 4. cap. 15.* *Alphonsus à Castro de justa hæretic. punit. Libr. 1. cap. 16.* *Sprengerus Malleo malefic. passim, Schottus & alij multi quos apud eum d. l. videas.*

§. 9. Hanc communem sententiam Patrum, Theologorum, Philosophorum doctiorum & omnium ferè seculorum atq; nationum experientia comprobata dicit *Delrius disq. mag. libr. II. quæst.*

quæst. 15. ut adeò eam negare imprudentia sit, ut Thomas loquitur apud Sprengerum *Mallei part. 1. qu. 3. p. m. 45.*

§. 10. Ne tamen ipsi autoritate pugnare videamur, paucis quomodo svaderi possit & probari, videamus.

§. 11. Tribuit autem hæc sententia demonibus certa corpora, non quidem propria, ac si demones tanquam spiritus etiam corpora haberent, quod de Angelis Patres nonnulli, tam ex Græcis quam Latinis persuasum, habuerunt. Vide *Kromeyer. in Theol. pos. pol. Artic. IV. thes. 14. p. m. 291. sed ascititia vel assumptiva.*

§. 12. Si quæras; unde sint illa corpora? Respondeo assumptis se vel cadavera mortuorum reproborum; quod tamen rarò admodum fieri putaverim: vel ex aëre, quæ est communis philosophantium sententia; aut aliis elementis, vaporibus, exhalationibus, mixtis facilè solubilibus, sibi corpora formasse. *Manl. libr. 1. Schott. Phys. curios. libr. II. cap. 32. §. 2. p. 219. Delvius Disq. mag. libr. 2. quæst. 28. sect. 1. p. 300.* Quam è vaporibus commixtionem *Maro* quoque non ignoravit cum *lib. X. Æneid.* ita cecinit:

Tum Dea nube cavâ tenuem sine viribus umbram,

In faciem Æneæ, visu mirabile monstrum,

Dardanius ornat telis clypeumq; jubasq;

Divini assimulat capitis: dat inania verba &c.

§. 13. Probat id magistra rerum experientia. Nec verò putandum est semper ejusmodi *φαντασμα* inania & vana, quæ ex metu spectantium corpus aut imaginem acceperint, oculorum aciem fefelisse. Multominus ob Purgatorij commentum & animales Papicolarum fabulas (qui ex animabus defunctorum lucrum venantur, ut habet *Lavaterus in epist. Tract. de Spectris premissa*) animabus separatis apparitiones istæ adscribendæ erunt; quasi opem à viventibus peterent ut è cruciatu maximorum dolorum purgatorij liberentur. Nam & Scriptura & vetusti Patres docent animas eorum qui in Domino moriuntur *ἀνάσσει* beatas esse *Apoc. 14.* impiorum autem cum divite heluone cruciari: Neutiquam verò

vel commentitium istud & pecuniosum receptaculum vel hunc orbem per errare. Vide eleganter hac de re differentem *Lavaterum de Spectris part. 2. cap. 4. seqq.* qui anteced. simul fucum adversariorum detegit, & commodum quod ex ista vesana doctrina captant luculenter ostendit: *Peucerum de divinat. p. 142. b.*

§. 14. Nota autem quando dæmones aërea corpora assumere dicimus, talia intelligimus cum Sprengero, quæ aliquo modo sunt terrestria; quia aër non potest figurari nisi aliquid aliud terrestre sibi adjungatur, ideò oportet quod aër ille sit aliquomodo inspissatus & ad proprietatem terræ accedens, servata tamen aëris veritate; & hanc condensationem facere possunt dæmones: *Mallei part. 2. quest. 4. p. m. 245,* cum præcipua eorum potentia sit in aëre notate ex D. Paulo & historia Jobi *Peucero de divin. gen. p. m. 31. a.*

§. 15. Ita assumptis corporibus, diabolo viris specie foeminea, foeminis specie virorum abuti, & has subicere, illis se substerne posse, facile crediderim. Non quidem delectationis causâ (nisi qua gaudent homines deceptos esse) quæ in spiritus carnem & ossa non habentes cadere non potest: sed ut opus generationis polluant & defoedent, quod ad propagationem generis humani constitutum vident, per luxuriæ vitium utriusque hominis naturam lædant ut loquitur *Sprenger. d. l. p. 45.* à recto tramite illos seducant, ad omnia vitia proniores reddant, & tandem secum in æternam damnationem conjiciant. *Delrius Disqv. Magic. libr. II. quest. 27. sect. 2. p. 188. Poucerus de divin. p. 11. b.*

§. 16. Constat namque quantum peccatum sit fornicatio, præcipuè iste nefandus concubitus. Notum etiam est odium gravissimum & horribile leonis rugientis adversus genus humanum, quod ex rejectione ejus & ad supplicia æterna contemnatione natum, magis magisq; incenditur receptione gratuita & restitutione generis humani, quam declaravit voce & confecit supplici deprecatione totiusq; obedientia, quam Deo debebat genus humanum, executione, ipse *Filius Dei, Peucer. de divin. p. 3. b.*

§. 17.

§. 17. A qui ut hanc thesin probent ipsa verba Mosis ex S. Codice, qui omni exceptione major est, huc pertrahere conantur. Ubi Gen. VI. 2. בני אלהים non aliter explicant, quam de hujusmodi *incubis*: ut Cyprianus, Justinus Martyr, Clemens Alexandr. Tertullianus & alij apud *Delrium libr. II. Disqv. mag. qv. 51. Sprengerus Mallei part. 1. qv. 3.* qui & Augustinum huic sententiæ subscripsisse asserere videtur. Ipse verò non tantum locum Gen. VI. sed etiam alia ut Es. VIII. v. 21. & XXXIV. 14. I. Cor. XI. v. 10. de *incubis* explicat, & per alios pilosos cum Glossâ, Gregorio & Isidoro incubos intelligit.

§. 18. Nos istam controversiam nostram jam non facimus, sed aliis, præcipuè Theologis quid per בני אלהים & שערות intelligi debeat, discutiendum relinqvimus. Putamus tamen recte omnino *Delrium* illam expositionem d.l. tanquam ineptam rejicere.

§. 19. Potissimum argumentum ab exemplis & sagarum confessionibus desumitur. E multis unum, quod *Schottus Phys. curios. lib. I. Mirabil. cap. 21. ex Cardano* refert, adjiciam. *In Marrea regione, uti ex his, qui rem hanc conspexerunt accepimus, nuper puella Nobilis formosâq; averfata conjugium inventa est prægnans. Parentes cum stupratorem quærerent, fassa est puella nocte dieq; secum formosissimum cubare adolescentem, quem unde veniret non sciret. Illi tamen si parum fidei responso adhiberent, tertio die indice ancillâ cognoscentes illum adesse, cum tædis ac facibus subito ingrediuntur referatis foribus, horrendumq; monstrum supra humanam fidem terribile, in complexibus filie conspiciantur. Occurrerunt ocyus vicini ad fœdum spectaculum, atque inter illos sacerdos probata vita nec sacra pagine ignarus. Evangelium Johannis cum recitaret eoq; pervenisset: VERBUM CARO FACTUM EST, demon asportans cubiculi tectum, incensa suppellectile, stridore emisso horribili abiit. Fœmina post triduum peperit monstrum unde quaque aspectu fœdum, quale unquam in Scotia visum non est; quod obstetrices ne in dedecus familie servatum esset, exstructâ pyrâ excusserunt.*

§. 20.

279 §. 20. Plura exempla vide de dæmone & incubo & succubo apud eundem præter d. I. libr. II. *Mirabil. c. 28. Thyraum de locis infestis part. 1. cap. 19. num. 18.*

§. 21. Posset hic aliquis excipere diabolum tantum ita sensibus & internis, & externis illudere, quale quid de sagis dormientibus compertum est, quæ eo ipso tempore putabant se ad sua conventicula delatus fuisse, ut de multis testatur Olaus Magnus, Tostatus, Grillandus *Molitor de Python. mulier. cap. 9.* & alij qui corporalem sagarum translationem negant.

§. 22. Ita aliquando diabolus delusit militem, teste *Guilelmo Parisiensi in Summa de Universo*, qui cum putaret se ulnis suis formosissimam virginem amplecti, invenit se postero die in complexu cadaveris asinini, tabe soluti, foetidissimè jacentem.

§. 23. Resp. ipsi hæc concedimus, neque ferit argumentum, hoc, thesin nostram particularem & restrictam. Non enim dicimus semper verè hæc ita contingere; sed, nonnunquam sunt dæmones *incubi & succubi*. Uti quoque saga aliquando interrogata; an verè & corporaliter transferantur; an verò solum imaginariè & phantasticè sic incederent per dæmones illusæ? Respondit, quod utroque modo. *Vid. Sprenger. Mallei parte 2. qu. 1. cap. 2. p. m. 223.*

§. 24. Ne tamen diutius, quam par est, in limine moremur, progredimur; ut accessus ad thema nostrum pateat ad

THES. II.

Ex tali dæmonis concubitu non potest nasci proles, bene tamen corpus quoddam exanime.

§. 1. Poterat juvenilis verecundia ab inquisitione hujus quæstionis facilè non deterrere; quia tamen, nisi hac cognita & perspecta probè, pedem ad *Thema* nostrum proferre non possumus, facilem nobis à B. L. veniam pollicemur; Cum etiam non tam tractatio, quæ de vitiis instituitur, quam ipsa vitia & facinorosa mala sint & turpia.

§. 20

§. 2. Qui vel limis saltem aspicit, quæ de formatione foetus tradunt curiosiores Physici : vel perfunctoriè tantum perpendit, quam singulari benedictione DEI necesse habeat procreatio sobolis, omninò impossibile arbitratur ex tali detestabili congressu prolem generali.

§. 3. Non autem loquimur hic de qualicunq; prole, uti hoc vocabulum generale est, teste *Becman, Origin. p. m. 733.* sed præcisè de prole sive sobole humana. Aliàs constat ex antea adducto exemplo & aliorum scriptis proditum, non rarò vermes & monstra ex isto concubitu prodire. Quod ipsæ sagæ tormentis veritatem loqui coactæ, nonnunquam falsæ sit.

§. 4. Nihilominus tamen etiam multi magnæ autoritatis viri pro prole humana pugnant; dicentes, quod omninò fieri possit & etiam non semel contigerit ex hoc dæmonum congressu suscipi verum hominem. Quemadmodum autem ignis quomodocunque etiam occultes, vel cineribus obruas, tamen adhuc quamdiu vivit, calorem suum diffundit; ita quoque veritatis scintillulas apud illos ipsos Autores promicantes invenias; quæ verborum offuciis æquè ut calor cineret, obrui se passæ non fuerunt. Inde circa materiam ex qua offendes sententiarum divortia, quod infra patebit, §. 12. 13. Videbis quasi mero somnoque graves titubantes, & argumentorem levitatem passim prodere. Uno verbo, redebis eos jam affirmare, quod antea negarunt; & jam negare, quod antea affirmarunt. Vid. *Schottum Phys. Curios. c. 22. p. 86. & 87. & infra Thes. III. §. 16. 19.*

§. 5. Ut autem ordinem, quem ipsa res præscribit, asserveamus, & *incubum & succubum* velut in scenam producamus cum ipsis liberis, quos ex ista spurcitie natos esse credulis conatur persuadere.

§. 6. Quando igitur *succubus* cum viro rem habet, omnem sanè fidem excedit eum in assumpto corpore ea omnia præstare posse quæ ad efformationem foetus requiruntur: Nempe tractus temporis, ut semen in corpus organicum mutetur; item continua ve-

B

getan-

getantis animæ operatio in foetu alendo; & alia innumera quæ ex aliis hic recensere omnia, nimis longum foret, neque instituti ratio permetteret.

§. 7. Et hoc nec Ægyptij concesserunt, ut laudat *Delvius d. l.* quibus tamen nulla gens amentior & stolidior nulla in DEUM contumeliosior, tetricioris idololatriæ superstitione fuit, & quæ magis diaboli imposturis caperetur. Teste *Peucer. de divin. p. m. 120. b.*

§. 8. Posset hic aliquis excipere: Ipsam experientiam nostro asserto reluctari, & contrarium ostendere; cum varia exempla historicorum prodant etiam ex dæmone succubo liberos susceptos esse. Talia legimus de Melusina in Francorum Historiis: Stemmate Andegavenis familiæ apud *Polyd. Virg. lib. XIII. hist. Angl.* & quodam Nobili Bavaro apud *Delrium* cujus uxor defuncta cum mortem ejus impatientius ferret non tantum rediit, se resuscitam dicens, sed marito etiam convixit & liberos peperit: Quæ tamen postmodum cum convitiis & blasphemis, ut primo promiserat, non abstineret, veste muliebri super arcam è qua quidpiam depromere volebat, derelictâ, iterum evanuit. Similes historias invenies apud *Ulricum Molitorem Dialog. de Lamiis, & Pythou. c. 6.*

§. 9. Verùm enim verò utcunque etiam historiis fidem habeamus, tamen nihil illæ contra nos obtinent. Denuò namque adversario probandum, erit; liberos istos verè, ut creditum fuit, matre *succubo* natos esse, & non alterius foeminæ partus hic suppositios, qua fraude ut plurimum Diabolus uti solet, ut videbimus infra TH. III. §. II.

§. 10. Et in hoc quidem etiam isti qui quæstionem affirmant, nobiscum consentiunt. Abeunt autem quoad alterum membrum.

§. II. Aliter dicunt se res habet cum *incubis*; quos generare posse cum tot exempla probent, nullatenus dubitandum est. Objectionibus etiam occurrunt; distingventes statim in frontispicio thesicos inter semen proprium & alienum: Non generare potest, inquit, diabolus vi suâ aut ex propria substantia, nam nullam ha-

bent

bent inter se vel individui speciei & multiplicationem, neque corpus, & consequenter nullum semen quantumvis tenue, nedum prolificum, ut supra audivimus §. 11. & 12. Thef. I.

§. 12. Si quæras igitur, unde habeat spiritus ille nequam semen quod aenum dicitur? Respondent; non ex assumpto corpore, quippe de quo qualecunque etiam sit, verum semen decidere non potest; cum illud sit *alimenti optimè concocti residuum beneficio animæ vegetantis juxta Conimbr. lib. 1. de Gener. c. 4. Schott. l. 1. c. 22. qv. 15.* sed à viro cum quo antea sub specie mulieris rem habuit. Et facilè potest ea qua est agilitate istud alio deferre & mulieri infundere. Cum etiam sit spiritus naturæ peritissimus, non dubitandum, quin calorem prolificum cum semine quantumvis ille subtilis & aereus sit, ac facilè dissipabilis, conservare possit. *Schottus d. l. Spreng. Mallei part. 1. qv. 3. p. m. 51. Delrius c. l. qv. 15.*

§. 13. Et quod plus mireris B. L. dicit *Delrius* cum quo & *Schottus* facit, illo quoque, quod, in eâ quæ somnianti viro contingit illusionem, dæmon accepit semine abuti posse. Quod tamen *Sprengerus* quantumvis idem quoad cætera cum ipsis cornu inflet recte negat; cujus verba, (ne piæ aures offendantur) aliqua tantum hic adjiciam. *Tantum modo, inquit, ex superfluo humore & non cum tantâ vi generativa discinditur. Vid. ipsum part. 2. Mallei qv. x. c. 4. p. m. 253. & 254.*

§. 14. Tandem etiam ad confessiones sagarum confugiunt, quæ falsæ sunt se ex tali compressu aliquando fuisse prægnantes. *Delrius* addit; dæmonem non nunquam sub alicujus viri specie deludere mulierculas, & *quam aptissimè imitari quacunq; in veri viri & mulieris copulâ requiruntur: Quare necessario tunc curat, ut, si quidem vult generationem sequi, adhibeat necessaria ad generationem: quare & prolificum semen quarit; & inventum conservat, & tantâ celeritate profert, ut quando ac quale oportet infundat.*

§. 15. B. *Sperlingius* medium hic tenens nec negat nihil nasci ex illo incestu, nec humanam prolem gigni posse affirmat; sed

dicat: *Facile est Diabolo sagarum uterum inflare ex semine ac sanguine materno corpus quoddam elaborare, istud movere, ex eo loqui & ubera fugere. Instit. Physic. libr. 2. qu. 12.*

§. 16. Hæc, uti ex thes. patet, sententia nobis quoque arridet, tutissima pariter ac munitissima. Quotquot enim historiae occurrunt eam probant, ut adeò eam negare sit nodum in scripto quaerere. Quod ulterius ex responsionibus nostris ad adversariorum, argumenta elucescet. Vid. *Voetium disp. select. part. 1. de natura & operat. dæm. p. 36. 37.*

§. 17. Omnis autem structura illi hypothese innititur, quæ in §. 12. adducta est, quam velut assumptum ne quidem probant, sed solum dæmonis calliditatem & potentiam prætendunt. Concedimus nos magnam esse malorum spirituum astutiam, mille modos & artes nocendi investigare, uti ipsæ S. literæ sufficienter docent, & *Schottus in Phys. curios. lib. 1. c. 19. seqq. cum Delrio libr. 2. Disq. mag. qu. 29. sect. 2. prolixè explicat: Sed hoc tamen asserere non possumus, eos naturæ cursum invetere aut mutare posse. Semen, inquit Delrius, quod Dæmon infundit sagæ fatentur esse frigidum. Quæro igitur, ubi jam erit calor prolificus quem necessarium ad generationem paulò antè dixit? Schottus concedit corpora in quibus diaboli apparent esse aërea sive ex aëre desumpta. Jam verò communis & recepta sententia est; si inter vasa ista generationis destinata, ventus vel aër intervenerit, ineptum reddi semen atque inutile ad generandum, eò quod spiritus facilè dissipabiles, uti ipsi loquuntur, amitteret, liqueceret & aquiesceret.*

§. 18. Hæc prævidens *Delrius* prorumpit tandem in hæc suspecta verba: *Queritur autem, non tam quid fieri soleat, quàm quid fieri possit. Item, aliquando dæmones generationem intendere, sed rarissimè. Tantum abest ut unius hominis vitam intendat hostis infensissimus, ut potius omnes vires, si ita loqui licet, absumat in toto genere humano destruendo cui nihil nisi insidias struit, & perniciem molitur.*

§. 19.

§. 19. Ad illud autem quod §. 14. dicitur respondemus tri-
pliciter. Ad (1) quidem cum *Sprengero Mallei part. 2. c. 1. qv. 2.*
p. 379. Nonnunquam etiam impragnatas sibi videntur mulieres ab
incubis & intumescunt vehementer ventres earum & cum partus
tempus advenerit sola emissionem multa ventositatis detumescunt.
Nam de ovis formicarum in potu sumptis incredibilem ventositatem
& tumultum in ventre generant hominis, similiter de granis catapu-
cie &c. Jam dico: annon in tali casu accedente tempore partus,
diabolus pro sua, qua est agilitate & calliditate, infantem aliunde
suffurari & huic falso partu laboranti supponere possit; vel etiam
seipsum sub specie infantis suscipiendum exhibere?

§. 20. Deinde multi sentiunt diabolum magos ad sagas per
aëra ducere, tanta cum animi obscuracione, ut neuter aliter senti-
at, quam se domi suæ esse & cum dæmone *incubo & succubo* rem ha-
bere. Atque ex hoc deinceps liberi suscepti malè diaboli esse pu-
tantur qui hominibus à natura instituto ordine prognati.

§. 21. Ad alterum autem membrum thesios 14. dicimus;
Delrium non probare id, quod probare debet. Saltem id conclu-
dit: E. *Dæmones aliquando deludunt mulieres sub specie conjugis*
vel mariti. Quod denuò adhuc probandum esset? Esto tamen;
posito hæc ita evenire, uti aliquo modo probari esset ex *Thyreo de*
locis infestis part. 1. cap. 19. num. 18. Sprengero Mallei part. 2. qv. 2.
cap. 1. ostendimus esse fallaciam à non causa ut causa. Quis enim
tam protervæ frontis erit, ut audeat affirmare uxorem illam non
è marito sed ex fraude diaboli imprægnatam esse?

§. 22. His ea, qua fieri potuit, brevitate præmissis ad thema
nostrum inoffenso pede progredimur.

THES. III.

Infantes supposititij non sunt homines, sed ipse diabolus,
qui vel corpus ex semine & sanguine materno for-
matum



manum movet, vel etiam aliunde ex sublunaribus
assumit.

§. 1. Nolumus prolixè disputare an dentur supposititij. Placet enim verba *Sperlingij* quæ habet in *Instit. phys. Libr. II. qv. 12. Infantes supposititij non fuere vari seculis præteritis conjugium enim ἐν λόγῳ καὶ ἐργῳ multifariam erat deformatum: Hodiè ob splendidissimam Evangelij faculam fermè cessarunt.* Inde statim, si non licet quærere quid hic sit; juvat tamen nosse quid ille fuerit, ad probandum thesin nos accingimus.

§. 2. Erudita autem est inscitia quædam ignorare, inquit *Sperlingius* cum *Scaligero*, *Exercit. 307. sect. 29.* Tamen quid verisimilius sit investigare est animus.

§. 3. Ut autem clariora sunt verba thesisi nostræ præmittendum nobis erit, quid per *infantes supposititios* intelligi hoc in loco debeat.

§. 4. Latiùs namque patet verbum *Supposititij* & æquè illum infantem notat, qui parentibus tanquam proprius & verus partus aufertur, quàm eum, qui in hujus locum affertur. De posteriori præcipuè nobis sermo est.

§. 5. Tales infantes apud Autores dicuntur *Cambiones*, *Vagiones*, à continuo vagitu, *Campfores* Germanis *Külltröpfse/Wechselfinder/Wechselbälge*: quæ germanica vocabula concinnè indicant suppositivos esse & nihil habere quod hominem assimilet præter pellem. *Vide Delrium c. l. qu. 15. Sprengerum Mallei part. 2. qv. 2. c. 8. p. 436.*

§. 6. Sed ὕπερον ἀετότρονον nobis agendum erit, atque inquirendum prius, num infantes diabolus suffuretur; in quorum locum foetus suos supponat; quem in finem; & qui tandem istis fiat,

§. 7. *Sperling. Just. phys. l. 2. qv. 12.* dicit nonnunquam dæmonem matribus infantes suffurari, sed rarò tamen hodiè ob splendidissimam Evangelij faculam id contingere.

§. 8.

§. 8. *Delrius*, qui cum hoc consentit, certum genus dæmonum ex relatione Judæorum constituit, quod infantulis nondum baptizatis insidiari dicit. Hoc genus, inquit, *Hebrais & veteribus Latinis*, illis sub nomine *Lilith*, his sub nomine *Lamie* quoque non ignotum. *Libr. 3. part. 1. qv. 1.*

§. 9. Addit etiam finem cur diaboli auferant parentibus infantes. Nempe ut ad magos ipsis in usum unguentorum aut gratissimum cibum deferant. In hujus rei fidem producit verba sequentia ex *Miderio Formicarij Libr. 5.* quæ hic quoque adjicere placuit. *Infantibus nondum baptizatis insidiamur &c. Clam furto recipimus, in caldario decoquimus quo usque evulsis ossibus tota ferè caro efficiatur sorbilis & potabilis. De solidiore hujus materiâ unguentum facimus nostris voluntatibus & artibus ac transmutationibus accommodatum: De liquidiori vero humore flascum aut utrem replemus, de quo is qui potatus fuerit additis paucis ceremoniis, statim conscius efficitur & magister nostræ sectæ. Disqv. mag. lib. 2. qv. 24. Spreng. Mallei part. 2. qv. 1. c. 2. p. 220. & 224.*

§. 10. Simile quid habet *Libr. III. part. 1. qv. 3. p. 365.* Ut plurimum utuntur hodie in amatoria defixione pergamena virginea: quam conficiunt ex cute pueri recens nati & ante baptismum mortui vel abortini, inscripta characteribus & verbis magicis. Cujus miram potentiam atque efficientiam nugantur magi recentiores. *Picatrix, Abonus & Agrippa.* Exemplum suggerit *Leloyber Lib. 1. de Spectris c. 5.*

§. 11. Sed utut vera sint quæ habet *Delrius*, nos tamen putamus sapius infantes à dæmone ideò abreptos fuisse, ut aliis persuadeat eos ex se *succubo* natos esse: Atque in tantum atrocitatem nefandi sceleris eleuet, quantum omnes naturæ & rationis instinctus ac moderamine negligit.

§. 12. Consentientem habemus *Melitorem*, qui rogatus ut de *Merlino* Anglo, (quem ex incubo natum dicunt anno 440.) sententiam dicat, *Arbitror*, inquit, *quia forte mater Merlini se diabolo,*

*bolo, probo dolor! dedicavit. Unde diabolus imaginationem ejus
ducens, sensusque ejusdem perstringens, quasi eidem commisceretur:
cujus etiam corpus forte per prestigium tumidum fecit, quasi foetu
grävda incederet, ac adveniente tempore ficti partus flatum divinam
permissione propter ejusdem mulieris incredulitatem in corpore ejus-
dem moverit, unde ipsa existimans se gravatam & foecundam ac pro-
lem parere debere. Itaque ipse diabolus divinam permissione ob incre-
dulitatem mulieris in ventre ejusdem dolorem, immiserit & hujus-
modi flatum extinguendo, & alium puerum hominis alicubi furatum
supponendo, apparentiam fecit occulto suo prestigio, quasi talis puer
de tali muliere natus fuisset, quem & post mater suscipiens, credens
de corpore suo exisse, enutrivit, cum tamen talis puer ab aliis homi-
nibus prognatus fuerit & per Diabolum subtractus. Vid. Dial. de
Pythonic. c. X.*

§. 13. Neque tamen à recto tramite aberrabit quid dicat di-
abolum has insidias struere, ut conjugium quasi deformet, parentes
excruciet, & ad insaniam aut desperationem adigat. Præcipue si
sint ex numero eorum de quibus Sprengerus loquitur. *Permittit
Deus propter peccata parentum, cum interdum viri imprægnatis uxo-
ribus male dicunt. Vellem, inquiunt, ut Diabolum portares, vel simi-
lia, ut habet Mallei part. 2. qv. 1. cap. 3. p. 235.*

§. 14. Ita ex odio horribili erga Deum & hominem Satanas
fremet, nihilque in gentis humanæ perniciem quod cedere queat,
non tentat. Unde etiam non contentus abstulisse se clam à con-
spectu parentum desideratissima pignora; se ipsum supponit acer-
bissimo spectaculo miserum ejulantis matris pectus dilaceraturus.

§. 15. En tibi tantis ambagibus quæsitum, sub tot sententia-
rum divortiis latentem, jam protractum supposititium. Cujus su-
per est, ut indagata origine, indolem consideremus, & signa indice-
mus quæ spiritum illum nequam in assimilato corpore hominibus
illudentem prodant.

§. 16. Hic nos commorari progressuros jubet distinctio
Spreng

Sprengeri quàm *Campsores* sive *supposititios* dicit esse in triplici differentiâ. *Aliqui*, inquit, *sunt semper macilenti, ejulantes, cum tamen quatuor mulieres nulla ubertate lactis unum lactare sufficerent.* *Aliqui vero sunt incuborum demonum opere producti, quorum tamen filij non sunt, sed propriè illius hominis & viri, cujus semen receperunt ut succubi, vel in somnis viros polluentes, hos enim interdum pueros divina permissione supponunt, subtractis propriis filiis.* Est & tertium genus ubi interdum demones in specie parvulorum apparentes nutricibus se conjungunt. Vid. *Mall. part. 2. qu. 2. c. 8. p. 436.*

§. 17. Nobis hæc non placent, nec fundamento ullo inniuntur: igitur ad singula respondemus.

§. 18. Ad (1) quidem; negando maciem, vagitum continuum, atque edacitatem singulare genus constituere, sed dicimus hæc esse quasi proprietates quæ omnibus communes sunt, ut videbimus §. seqq.

§. 19. Quod verò secundum genus concernit, patet jam ex supra dictis fallissimum esse præsuppositum, nempe diabolum posse generare & verum hominem producere. Et quid diabolus tali infantulorum permutatione lucraretur si in veri hominis locum verum rursus hominem supponeret. Parentes ne quidem persentiscerent fraudem, sed tanquam ex se natum, vultus elegantia & membrorum proceritate à Deo donatum exoscularentur. Imò pueri isti non tantum progressu temporis injustam & sibi convenientem staturam excrescerent, sed etiam animi dotes in operationibus suis ut alij proderent, quæ omnia experientia & exemplis adversantur. Miror autem cur tam subito sententiam suam *Sprengerus* immutârit. Suprà *Th. II. §. 13.* negat *semen virile nocturnâ illusionem effusum cum vi generativa discindi*, ut habent verba formalia; hic contrarium asserit. Vides igitur quàm vera sint quæ diximus eadem Thesi §. 4.

§. 20. Prioribus duobus generibus expunctis, tertium remanet:

C

manet quod agnoscimus & hujus dicimus esse proprietates istas
quæ pro singulari genere constituendo à Sprengero adducuntur.
Nempe continuus vagitus, voracitas, adeo enim dicuntur esse lacte,
insaturabiles *vagiones*, ut etiam quatuor nutricum rumis ex haustis
macilenti sint, & quinque sæpè pro uno tali infante mulierum ubera
vix sufficiant. Fœditas, Ponderositas; nam licet maximè macilen-
ti sint tamen sunt ponderosissimi. Dicuntur etiam parvuli manere,
nec in justam staturam crescere; semper res adversas ridentes, se-
cundas verò dolentes, quas maximo ejulatu atque fletu, omnium
qui audiunt singulari consternatione, prosequuntur. Tandem an-
num decimum nonum nunquam attingere, sed intra hoc tempus
vel mori, vel evanescere putantur. *Delr. Disqv. Magic. libr. II, qv. 15.*
Spreng. Mallei part. 2. qv. 2. c. 8. p. 436.

§. 21. Præscribunt quidam certa remedia ad dæmones fu-
gandos, ut *Plin. N. H. Libr. XXVIII. c. 8.* dicit hyænam piscem
magorum & dæmonum artes impedire. Item fel canis nigri ma-
sculi amuletum esse totius domus suffitæ eo purificatæve contra o-
mnia maleficia, *Lib. XXX. c. 10. Lib. XXXVI. cap. 19.* Eandem vim
tribuit amianto lapidi. Hic, inquit, veneficiis resistit omnibus, pri-
vatim magorum. Ita Pontificij sua gloriantur remedia: Reliquias
sanctorum, aquam benedictam, alias res benedictas, ut candelas, sal,
invocationem Mariæ & quæ sunt reliqua deliramenta quæ, vim &
fraudes diaboli prosternere perhibent.

§. 22. Potius, ne hæc contingant, parentes recens natos Deo
custodi Israëlis vigilantissimo piis precibus commendent, sub cujus
alis gratiæ solùm, contra omnes diaboli injurias protegentur.

§. 23. Fabulæ autem sunt, ab aniculis colos exonerantes
primum in vulgus datæ, quando dicunt: Diabolum veros partus
reportare, si statim parentes fraudem persentiscant, & supposititi-
um virgis probè cædant.

§. 24. Nos si hæc ita contingant, ut permissione & justissimo
Dei judicio diabolus vim suam & inimicitias in aliquos exerceat
optimè

optimè agere statuimus eos, qui *Sprengerum* hac in parte sequun-
tur. Sic autem ille: *Mulieribus tamen* (dico parentibus) *propter ni-*
mium terrorem quem concipere possent, nec affirmanda sunt, nec ne-
ganda, instruenda sunt, ut literatorum iudicia querant. *Mallei par.*
2. qv. 1. cap. 3. p. 235.

§. 25. Ex his cuius facilè patet responsio ad omnes quæsti-
ones, quæ hic moveri possunt, quas cum historicâ illustratione ob
temporis penuriam consultò omittimus. Sed cautè tamen mono-
mus procedendum esse in exemplis iudicandis. Omnia optimè
observanda sunt, nè verus partus pro suppositio habeatur, aut sup-
posititium pro filio parentes exosculentur.

§. 26. DEO vero T. O. M. gratiæ agenda sunt, quod hodie
quidem illud malum fermè ignoremus. Cui etiam pro concessâ
nobis gratiâ & præstito auxilio

fit

LAUS, HONOR ET GLORIA.



C 2

DISPU

DISPUTATIO SECUNDA,

De

NYMPHIS,

nobis

Wasser = Nixen /

PARS PRIMA,

Vice prioris

PRO LOCO

In Facultate Philos. obtinenda habita

d. 30. Augusti 1673.

B. B.

PRÆFAMEN.

1. Epicuri de Diis opinio. 2. Plinij sententia de hominibus. 3. Homines variis formis. 4. Judicium Ciceronis. 5. Recentiorum. 6. Notatur Theophrastus. 7. Ejus dogma de quatuor hominum distinctis generibus, & quid de illis habendum.



1. Uâ formâ Deos hominum similes Epicurus i. dixit, eâdem aliquos non re, sed nomine tales putet, qui illis Plinij 2. fidem fecerit: *Ex hominum genere ludibria sibi, nobis miracula ingeniosa fecit natura. Et singula quidem quæ facit indies ac prope horas, quis enumerare valeat? Ad detegendam ejus potentiam, satis sit inter prodigia posuisse gentes. Integras nempe tam variis formis, non à membrorum conjunctione & staturi tantum 3. sed*

1. *Apud Cic. de Nat. Deor. Lib. 1. p. m. edit. Gruter. 145. Quæ, inquit, compositio membrorum, quæ confirmatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humanâ potest esse pulchrior? Deus autem eâ figurâ profecto est, quæ pulcherrima sit omnium, quoniam Deos beatissimos esse constat. p. 141. 2. Hist. Nat. Lib. VII. Cap. II. 3. Quales Pigmei, Gigantes & Manugradi.*

speciatim omnibus ferè membris, capite 4. ore 5. auribus, 6. na-
so, 7. oculis, 8. pedibus, 9. &c. desumptis refert, ut eas belluas po-
tius hominem imitantes dixeris. Quæ ipsa licet paucissimorum
fidem impetraverint, quod omnem multum superare videantur,
illis etiam, qui vel gentilis Philosophi mentem cognitam & per-
spectam habeant. Ita namque Cicero IO. *De forma hominis*
partim natura habemus omnes omnium gentium, speciem nullam. 4.
aliam nisi humanam. Quæ enim alia forma occurrit unquam aut
vigilanti cuiquam aut dormienti. Non tamen desunt è recen-
tioribus etiam, quibus nefas videretur, rem in dubium vocasse II.
Sed facilè quenquam ingenio abundare patiemur, maxime cum 5.
novo orbe detecto omnem rem satis se cognitam habere jacti-
tent, & sapi⁹ à suis visos, 12. quorum cura nos quasi suspensos hacte-
nus detinuerit. Illud tamen omnem veritatem atq; fidem excede-
re ingenuè dicemus, quod de Pnevmanthropis suis Paracelsistæ, 13.
nescio quo furore & dementia, quibus nulla potest homini major 6.
esse pœna, agitati platerant. Nam quis unquam vel per somnium

C 3

cogi-

4. *Qui sunt Cynocephali, & Acephali, 5. Astomi, & Brachistomi,*
quorum illos odore vivere, hos calamis avenæ potum tra-
here dicit. Lib. VI. Cap. XXX. 6. Quibus nuda alioquin
corpora pregrandes ipsorum aures integunt. Lib. IV. Cap.
XIII. 7. Quo carent. 8. Ut Monoculi Arimaspi, Blem-
mia, quibus oculi pectori affixi traduntur. Lib. V. Cap. VIII. 9.
Quales sunt aversis post crura plantis, & Sciopodes. 10. c. I,
II. Schottus Phys. curiosa Libr. III. Cap. VI. 12. Nierenberg.
Hist. Nat. Lib. VIII. Cap. I. seqq. 13. Ipse Theophrastus quem
antesignanum suum reliqui sequuntur, plures hominum spe-
cies facit præter unam. Dicit: Deum præter homines A-
dami posteros, alia quatuor hominum genera carne & ossibus
& ratione prædita creasse, eosq; in singulis elementis collocas-
se. In terræ visceribus Pygmaeos & Gnomones, in aquis Nym-
phas & Undenos, in aëre Sylphos & Melusinos, in igne Vulca-

7. cogitavit Salamandras, 14. ejusmodi homines, qui in ignibus vitam sustinere possint. Unde namq; impassibilitas carni & ossibus, ut acutissima quæq; vis ignium, ea non penetrare valeat & absumere penitus. 15. Tūm qui per aëra sine pennis volitarent nullus novit, nisi per Selenitas forte exstaticum cum Luciano iter fecerit. Sed aquaticos tamen superesse homines, si vel omne genus eorum extinctum sit, opinatur vulgus, cum toties visi fuerint circa fluvios & stagna, qui tum propius accederent ex nostris aliqui, scenæ hujus spectatores, non ferentes conspectum sui, se sub aquis conjecerunt. Vel si in incantatas etiam inciderint, unam ex illis secum in abyssum & domus suas subteraqueas abduxerint. Hos ergo nonnihil vocabimus, atq; ut constet quid de illis habendū sit, pagellas has in eos infumi patiemur. Tu DEUS juva conatus nostros, & quæ sunt opera tua ita meditari doce, ut ex omnibus illis immensam tuam & sapientiam & potentiam agnoscamus, & de bonitate tua gaudeamus semper. CA-

nos & Salamandras. Et in certum adhuc esse, cuinam horum generi vera fides in Deum sit data, & via ad salutem patefacta. Vide Tom. II. Libr. de Nymphis & c. passim. 14. Constans opinio est, Salamandras, quæ aliis lacertæ genus, in igne vivere, imò ignem contrario frigore suo extinguere. Huic, inquit Plinius Lib. X. Cap. LXVII. tantus rigor ut ignem tactum extinguat non alio modo quam glacies. Matthiolus tamen apud Schottum Libr. VII. Mirabil. Cap. VIII. §. 3. ait, se opinionem veterum de Salamandra in igne vivente falsam, comperisse multis Salamandris experiendi causa in ignem coniectis, breviq; extinctis. Ipse Schottus d. l. mediam quasi amplectitur, subjungens: Qui itaque scribunt Salamandram semper in igne vivere, vulgi errore decepti fuere. 15. Salamandram & qui pyrigonios agnoscunt, non eandem ob causam, omnes, ignium vim sustinere posse sentiunt. Aliqui ob antipathiam, vel odium nature; alij ob frigus; alij propter temperamentum proprium, igni familiare.

CAPUT I.

1. Nymphae Etymologia. 2. Homonymia. 3. Nympharum apud Gentes distincta genera. 4. Differentia inter Najades & Nereides. 5. Quae reliqua aquarum Nymphae. 6. Praesens vocabuli acceptio. 7. Synonymia. 8. Notantur Theophrastus. 9. Kornmannus. 10. Sirenes quid. 11. Nymphes Theophrasti. 12. Ejusdem Nympharum liberi. 13. Judicium de illis.

E Tymon vocabuli si spectes, Vossius. 1. Nympham ex Ebraeo נַיִם deducit, quod est stillavit perstillavit: Ut aded proprie aquam denotare videatur. Quemadmodum Becmannus 2. Etiam cum Festo plane idem esse Nympham & Lympham tradit; quod L & N passim permutarint antiquitus. Unde, inquit. factum etiam est, quod apud Virgilium (Lib. I. Aeneid. v. 704.) pro nymphas, aliqui legerunt.

Dant famuli manibus Nymphas &c.

Certum tamen est, quod aquas & vires humoris. 3. sapissimè intellexe-

1. *Idolol. Gentil. Libr. II. Cap. LXXVIII. 2. Origin. p. m. 541. 3. Huc pertinet quod Servius ad versum illum 704tum Aeneid. Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae: commentatus est. Nos inquit, in nostris Disputationibus, in quibus allegoricum hujus Poëta sensum expressimus, hunc locum physicè interpretati sumus. Nam Phœbi, Auroraque filias XIV. fuisse dicunt, easque Junoni Nymphas attributas. Juno aër est. Aëri autem septem attribuuntur: Septem itidem gignuntur. Est igitur aëris ut levis sit: ut mobilis: ut calidus: ut humidus: serenus quoque taciturnus. In aere autem gignuntur imprimis iris: cui tres ad sunt ministrae; pluvia: grando: nix. In hoc contingit, ut nubes soli opponuntur, sed nubium corpus ita est, ut aliâ sui parte densum, aliâ densius, aliâ densissimum sit; à prima subrubeus: à secunda ceruleus: à tertia piger est color. Contra verò partes qua in*

lexerint per Nymphas, quas propterea Poëta Oceani & Tethyos filios esse statuebant. Unde factum, ut ipsi fontes Nymphæ dicerentur; quod ex dicendis patebit. Alij Græciæ natales debere censent, formatum ex νεῦν & Φαίβεθαι ut propriè sponsam vel novam nuptam notet. *Hæc enim, inquit Martinus 4. nova apparet iis in quorum familiam nupsit, nova marito suo, socero, socrui.* Sed non æque patet omnibus, quomodo Nympha à nubibus deduci possit. Ita autem Isidorus 5. *Nymphas aquarum deas putant dictas à nubibus. Nam ex nubibus aquæ, unde derivatum est vocabulum. Nymphas enim aquarum Deas quasi numina lympharum.* Cæterum medicis quoque non inusitatum est hoc vocabulum, 2. 6. quibus denotat colliculum, aut carnunculam membranofam, illam quæ ad fissuram colli matricis, ac dum virgo defloratur, rumpitur. Alias Aristoteli 7. & Plinio 8. Nympha est foetus apum, ita namq; hic. *Rex statim mellei coloris, ut electo flore ex omni copia factus. Neq; fermiculus sed statim penniger. Cætera turba cum formam capere cœpit Nympha vocantur.* 9. Sed quis omnes significatus vocabuli hujus sine nausea lectoris percenseret? Unicum saltem juvat addere & qui non parum lucis nostro conciliabit. Nempe in Ethnica Theologia Nymphæ sunt numina quædam, quæ virginum formosarum forma apparebant. Ut ludebat diabolus temporibus ignorantia. Neque verò eas unius generis faciebant. Nam quæ Nymphæ montium custodes essent Oreades

*dice-
ea pure sunt croceum: quæ puriores viridem: quæ purissime
album producunt. Hæc ergò prima ex aliis septem Nympha
est: Post eam pytho cometa, fulmen exhalatio, tonitru
ac terra motus. 4. Lexic. Philol. 5. Origin. Lib. VIII. Cap. XI.
6. vid Barthol. Castell. in Lexico Medico sub vocabulo, colli-
culum. 7. Hist. Anim. lib. V. Cap. XIX. 8. Hist. Nat. Cap.
XVI. Lib. XI. 9. Hinc nos hodiernum novas & juvenculas
apes vocamus Jungfrauen, & mel virginale, Jungfrauen-
Honig.*

dicuntur: sylvarum Dryades: Arborum Hamadryades: Herbarum Napeæ. Quas verò aquis imperare putabant nomine generali Najades appellabant. Nempe *ναειν* est fluere, ut non incommode etiam Fluonias diceres. 10. Vossius tamen 11. negat Najadum 4. nomen de Nereidibus usurpari, quas marinas vocat. *Licet inquit, omnis aqua fluat Najadum tamen nomen nusquam puto de Nereidibus sumi, sed de fluminum, fontium, stagnorum & puteorum Nymphis.* Scilicet quod colligere est, Nereadas faciebant Deas vel Præsides maris. Reliquarum autem aquarum Nymphas nomine generali Najades appellabant. Occurrunt tamen aliæ etiam particulari nomine vocatæ, nondum verò certi alicujus fluminis aut fontis proprio. Cujusmodi sunt *κηναϊαί* 5. fontanæ: *ποταμίδες* vel *επιποταμίδες* fluviorum: *λιμναϊαί* vel *λιμναίδες* stagnorum Præsides. Denique aliæ erant certi cujusdam fluminis aut fontis; quales Arethusa 12. Anna perenna.

D

13.

10. *Servius ad Eclog. VI.* 11. *Idol. Lib. II. Cap. LXXX.* 12. *Hoc nomine ipsum fontem designari, docet Cicero in Verrem Lib. IV. p. m. 155.* In hac Insula (*Syracusa*) est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum à mari disjunctus esset. *Familiares autem erat maxime Poëtis fontes Nymphas dicere, imò pari cultu & honore afficere. Patet id exemplo Blandusiæ, qui fons est in Sabino agro (ut notat Job. Bond.) de quo Horat. Lib. II. Ode XIII.*

*O fons Blandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus
Cras donaberis hædo.*

Hædi potissimum meminit, quia is Nymphis sacrificabitur, eadem de causa, ob quam capri immolabant Libero, qui & ipse præses humoris erat potabilis, ut observat Voss. Lib. II. Cap. LXXXI.

13. & Juturna 14. Sed hæc extremo quasi digito intendisse sufficient. Diutius enim his memorari fabulis esset operâ & tempus perdere.
6. 15. Nympham igitur dicentes, intelligimus non ejusmodi Numina imaginaria, sed id, quod, quicquid tandem sit in aquis humanos vultus refert: Germanis dictum Wasser = Leute 16. Wasser = 7. Frauen. 17.

Wasser =

13. *Quæ fuerit hæc Anna, variè traditur, plerique existimant fuisse sororem Didonis hoc nomine appellatam, cujus Virgilius etiam Lib. IV. Æneid. circa finem meminit. Ovid. Lib. III. Fast. ita:*

*Queritur, apparent signa, notæq; pedum,
Ventum erat ad ripas. In erant vestigia ripis
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, placida sum Nympha Numici
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.*

Et paulò post.

*Sunt quibus hæc luna est, quia mensibus impleat annum
Pars Themis, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies qui de Nymphæ Atlantida dicunt;
Teq; Jovi primos, Anna dedisse cibos &c.*

14. *Hanc etiam Nympham fontem ita dictum fuisse Varro scribit, quod juvaret. Itaque multos, inquit, ægrotos propter, id nomen, aquam petere è fonte Juturna solitos. Sed aliter paulò Servius Æneid. XII. Juturna Nympha fuit, qua templum habebat prope Urbem: ubi erat fons, cujus aqua potata febre liberabat. 15. Plura qui cupit adeat præter Servium & Natal. Comit. Vossium, qui legi meretur. 17. Delrio Disq. Magic. Lib. II. Qv. XXVII. Sect. II.*

Wasser-Nixen 18. Neque nota foeminini generis tantum, sed & masculino nomine: uti Delrius 19. observat, quod Teutones Belgæ vocitent *Necters* / & Cantipratensis, Neptunos. Inde Theophrastus 20. forsan, ut utrumque genes eodem verbo exprimeret, dicit spiritus aquaticus, accepto vocabulo spiritus latissima 21. significatione pro eo quod habet corpus omnibus partibus absolutum subtilisatum tantum, & quidem adeo, uti nec muri nec fores clausæ ejus cursum remorari valeant. Rectius Majolus 22. homines marinos nuncupat, alij Tritones. 23. Kornmannus in Monte Veneris 24. Nympham talem Empusam vocat, sed perperam; cum Empusa dicatur illud nocivum spectrum, quod infantibus recens natis insidias struit, & parentibus subducit. Poterunt etiam Nymphæ nostræ Sirenes dici. 25. Quanquam enim istis communiter corpus virgineum & gallinaceos pedes tribuant 26.

D 2

ut

18. De hoc vocabulo Scheræus in Miscell. Hierarch. Seine ursprüngliche Bedeutung ist nicht wohl bewußt / und gewiß abscheulicher / als zu wissen von nöthen. Diereil sie doch scheint herzukommen von den alten Deutschen / da Sie noch Heyden gewesen / und die Deutsche Sprache unrein geredt haben. 19. c. l. 20. Tom. I. Philos. Tract. IV. p. 313. 21. Libro de Nymphis & c. 22. Dier. Canic. Coll. II. p. 46. 23. Gesnero Triton dicitur Dæmon marinus, Satyrus marinus, Pan marinus Lib. de Piscibus p. 153. 24. Cap. XXVIII. & alibi passim. 25. Denominationem habet apud Servium Aeneid. Lib. VI. Dicuntur ab eo quod est ἐπεω: quod significat connectere & continere. Aspiratio convertitur in s. ut cum dicimus ἐξ sex ἐπτα septem. 26. Ita Ovid. Metam. Lib. V. Fab. IX.

Vobis Acheloides unde

Pluma pedesq; avium, cum virginis ora geratis,
Et Virginei vultus, & vox humana remansit.

Fuisse autem tres tantum Parthenopen: Leucosiam & Lygiam idem Servius observat. Quid mythologi per eas ve-

ut ita non sub aquis, sed terris eas vivere facillimè concludendum sit, tamen aliqui inter quos Schottus 27. etiam, non volatiles, tantum, sed natatiles etiam Sirenas agnoscunt, *Ego, inquit, existimo & natatiles & volatiles esse Sirenas, quoniam & marina sunt Monstra, quæ mulierum ac piscium, & volatilia, quæ mulierum ac aviam referunt figuras.* Neque dissentit Poëta 28. dicens:

*Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.*

- Aliud autem ab his Nymphis nostris sunt Theophrasti *Nymphes* 29. **11.** Qui non illi in aquis natitantes, sed terræ imis visceribus latentes spiritus, quos vulgò *Bergmännlein*/vel *Schrötlein* nuncupant. Quo sensu Kornmanno etiam venire video: Qui tamen ut in cæteris hic quoq; verbis Magistri sui impensè delectatur. Aliud etiam **12.** eidem Theophrasto Nympharum liberi 30. quos ex semine humano, sed modo prorsus singulari, quem ibi videas, natos & educatos dicit. Nescio quibus elogiis non extollat hos diabolos larva- **13.** tos. 31. Tradit eos Marte & arte præstantissimos, viribus omnes

facilè
*lint, non omnibus constans & opinio. Quidam putant fuisse meretrices, quæ transeuntes, quoniam deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia vide Servium c.l. Nierembergicus contra narrationis veritatem ita se habere dicit. Loca esse quædam maxima montibus angustata, quibus allisi fluctus argutum sonum edant: quo audito prætereuntes fluctui vitam suam committant, ipsique una cum navibus pereant. Hist. Nat. Lib. V. cap. XIII. 27. Phys. Lib. III. Cap. IV. §. 3. 28. Ovid. Lib. III. Art. Amand. 29. Tom. II. Libr. de Sangvine ultra mortem p. m. 271. 30. Libr. de Generat. rerum natural. Lib. I. p. 883. seqq. 31. Judicio Voëtij, qui dum de his homunculis, (ita enim Theophrastus eos vocet) differit, eundem esse existimo ait, cum diabolis, qui se ad instar infantum alij curant, quos aliqui *Main de gloire* vocant. Part. I. Disp. Sel. de creat. part. nona.*

facile superare & arcana quæque atque abdita expiscari posse. Nam cum arte nati sint, inquit, corpus, carnem, ossa & sanguinem ab arte acceperint, arte etiam educati, necesse fuerit, eos omnes callere artes, quas tamen à semetipsis & nullo alio edoctas habent. Sed quid de his sentiendum sit omnibus facile & judicare. Vide- rint Paracelsistæ an vera sint, an potius, quod videntur, somnia delirantis, * Mihi verba Joh. Coleri placent : Si Dominus morti tradidit istum, qui projecit in Terram semen, quid faciet illi, qui ad tam nefarias & præstigiatrices artes eodem abutitur.

CAPUT II.

1. Plinij elegans de homine dictum. 2. Exemplum celeberrimi urinatoris Siculi. 3. Aliud ex Kranzio. 4. Voëtij de urinatoribus sententia. 5. Jona duratio in ventre ceti qualis. 6. Kekermanni opinio. 7. Exemplum. 8. Scaligeri sententia. 9. Natandi peritia priscis probata. 10. Urinatores an undeni dicendi.

Sed gradum proferre juvat, & speculari, quinam unquam intra aquas homines se receperint : Vel si aliud inibi reperire est, forma humana quadantenus præditum, an pro pisce, vel phantasmate habendum sit. Equidem verus homo, inquit Plinius. 1. Ratione atq; anima pollens terrâ compositus, terram incolit, fate-
ri tamen possumus præter controversiam, 2. compertos aliquan-
do fuisse homines, quio ob longam maritimarum aquarum consue-
tudinem, quibus vitam degerent, salubrius ac delectabilius in ipsis
vixisse, quam in solo, viderentur agrè respirare piscium more, velut
in veto elemento. E multis exemplo nobis erit celebris ille Sicu-
lus cujus Alex. ab Alex. & Majolus meminit. In Sicilia, inquit, 2.
regno sub Gregorio nono 4. hominem compertum esse tanta à

D 3

puero
1. Hist. Nat. Lib. IX. Cap. V. 2. Sunt verba Majoli Dier. Canic. Col-
loq. IX. 3. Genial. dier. Lib. II. Cap. XXI. 4. Majolus alicubi
dicit contigisse sub Bonifacio nono, quæ sententia quoque sic

puero natandi consuetudine mari assuetum diu noctuque, ut si aliqua elaberetur dies, qua natando non fuisset excitatus, corde plurimum augetur simul & animo. Unde illi nomen piscis Colanus. 5. Hoc igitur quotidiano exercitamento tantam vim roburq; fuerat affecutus, ut quinquaginta & amplius stadia perpetua ratatione præter flueret, dies ac noctes integras semper maritimos fluctus obversans procellis contemptis. Occursabat navibus, ibiq; per benignè ac comiter convivans redibat ad fluctus. Tandem ab Alfonso Rege aureo cratere in præmium urinatoribus proposito, certaturus, infelix Colanus hic maris ima petens, ulterius non est visus, lapsus forte in antrum aliquod sub imò mari, aut aliò quopiam inscrutabili, sibi contingente discrimine, obiisse putatus est. Simile quid Kranzius in Norvegia sua 6. recenset. Sivardus è proceribus Norvegiæ natando sub aquis loricam exuebat; deinde totus submersus vestimentis etiam omnibus, ac tandem adhuc sub aquis degens subuculâ, quæ extremum inter vestes locum habet, se nudabat. Quæras, qui fieri possit, ut homo qui respiratione indiget, & sub aquis negata est, per integram horam imò tres aut quatuor in mari delitescat? Voëtius 7. dicit uti tubis aliisve instrumentis per quæ aër ad illos derivetur, aut remota aqua illos circumstet. Quod factitatum putat ab illis artificibus, qui, ut loquitur, ante

Raphaelis Volaterani. 5. De hoc Colano vel Nicolao agit Scalliger de subtil. Exercit. CCLXII. Multa, inquit, nomina concidit Italicum vulgus. Franciscus à multis dicitur Ceco-Dominicus, Beco: Laurentius, Renzo. Sic Turcæ Constantinopolin, Stampol: Adrianopolin, Adrina: Elephantum, Fil: Ita à Siculis & Calabris Nicolaus Cola. Nam Christianus noster Cola ex baptismo Nicolai nomen acceperat. Ludovicus Vives etiam: Prius Nicolaus dicebatur, postea Cola piscis quasi Nicolaus piscis. Libr. II. de veritate fidei Christiane. 6. Libr. V. Cap. VIII. 7. Disp. Part. I. de Creatione part. octava.

paucos annos in Belgico sub aquis candelam accensam conserva-
bant, canebant, &c. Vel etiam intercedere operam diaboli, quando
tamdiu delitescunt, quod id nullo naturali adjumento effici possit:
æquæ ut Jonæ perduratio in ventre ceti fuit purè miraculosa: quod 5.
ibi respirarit, quod à calore ceti non fuerit absumentus, nec ab odore
gravissimo enectus, atq; ad eò virium corporis & animi ita compos
fuerit, ut Deo preces offerre potuerit. Kekermannus 8. ubi hac
de re agit, dicit. Ad tempus posse sub aquis vivere urinatores, 6.
non sinit nos dubitare experientia, in locis præsertim maritimis,
ubi sæpè eorum operâ in fundo vestigatæ merces, quæ naufragio
perierant. Quod verò sub quæstionem vocaremus, movit nos ea
narratio, quæ legitur apud Facium Libr. VI. Fuisse urinatore, 7.
quendam, qui ab obsessis in arce Neapolitana ad Alphonsum Re-
gem literas cerâ oblitus per aquam detulerit. 9. Eumque non se-
mel, sed secundo & tertio ad regem ivisse. *Piscem credas fuisse
non hominem*, nisi quod ultrò citroq; literas tabellio detulit. Sanè,
inquit, si res legitimè gesta est: oportuit istius hominis cor & pul-
mones peculiari temperamento præditos fuisse. Aut fistulam uri-
natoriam singulari artificio fabrefactam, per quam aërem attrahe-
ret. Cœteroquin pacti & subsidii dæmoniaci suspicione urinatio
illa Neapolitana non caruerit. Quod autem hic ad temperamen-
tum pulmonum refert, Vossius etiam 10. sibi ἀνίγνων esse dicit. 8.
Scaliger verò 11. eos qui aliqua de causa diu sub aqua manent, di-
cit se vidisse olei plenam spongiã in ore, aut ad os habuisse, & emis-
sum
8. *Disp. Phys. XVII. Quest. XX.* 9. *Simile de Casare leges apud
Sveton. ubi Cap. 57. eximia ejus natandi peritia laudatur:
quod si quando iter ejus flumina morarentur, ipse nando tra-
jecerit. Et cap. 64. Alexandria circa oppugnationem pon-
tis eruptione hostium subitu compulsus in scapham pluribus
eodem precipitantibus cum desilisset in mare nando per CC.
passus, evasit ad proximam navem elata læva, ne libelli, quos
tenebat madescerent: &c. 10. c. l. 11. Exercit. CCLXII.*

sum ita aliquo modo spiritum revocasse ex aëre qui intra oleum
continetur.

Sed quocunque tandem vel exercitamento vel adjumento
etiam sub aquis lateant ejusmodi urinatores, tamen experientia
9. loquitur contigisse. 12. Taceo quod natandi peritiam plurimum
probarint prisca, 13. ut proverbium inde natum sit: *neque natare,
neque literas didicit.* 14. Veruntamen licet adhuc inveniantur,
qui ob perpetuum in mari incolatum extra aquas ægrè vivant, ta-
men rationem illi non exuunt, aut desinunt pro hominibus habe-
10. ri. Quare minus etiam convenienter eos marinos homines, un-
denas, Nymphas aut tritones aliquis appellaret, & pro illis habe-
ret, de quibus præsens hæc nostra disquisitio instituta est.

CA-

12. *Ludovicus Vives Lib. II. de veritate fidei.* In quibusdam locis
maritimis homines maximopere dediti sunt natatui, cui ex-
ercitationi assvescunt pueros suos, ut hi diutissimè possint
rare sub aquis. Filij horum in aquis pene geniti, nati, edu-
cati, habitatione hujusmodi non aliter delectantur, quàm
pisces. Ita quemadmodum homines in arido sic hi vivunt
in mari. Cujusmodi esse in extremis illis Insuli Oceani locis
calidissimis, ex iis quæ relationibus nostrorum hominum,
accepimus conjectura licet. 13. *Vid. Horat. Carmin. Lib. I.
Ode VIII.* 14. *Μητε νειν, γεγυυαλα.* In eos dicitur qui supra
modum indocti sunt, nihilq; prorsus bonarum artium in pue-
ritia didicerunt. Nam hæc duo statim discebant pueri Athe-
nis. Atq; adeò Romæ quoque, id quod satis declarat Svetoni-
us in Augusto. *Plato Lib. 3. de Leg. Erasmus Adag. Cbil. pri-
ma Centuria III. Adag. XIII.*

CAPUT III.

1. *Nympha Theophrastro Monstra.*
2. *Persina Regina Albania, & ejus filia tres Nymphae.*
3. *Origo earum ignota.*
4. *Probatum extitisse olim ex topographia. Insignibus familiarum Gallicarum.*
6. *Moreau judicium.*
7. *Nostrum.*
8. *Notantur Theophrastus & Kornmannus.*
9. *Nympha Marburgensium.*
10. *Fuit meteorum.*

Aliæ ergò Nymphae nobis quærendæ sunt, sive ex prima adhuc creatione sint, sive monstra ex Theophrasti mente interea temporis suborta i. Et quidem missas facimus, ut supra monitum à nobis fuit, eas, quas vel superstitio, vel credulitas gentilium progenuit? nostra facientes verba Verulamij. 2. *Pro fabulis & somniis habemus, presertim cum sit res, nec cum Philosophia, nec cum religione, bene consentiens.* Occurrunt autem primò celebres illæ, quas antiquitas celebravit, quatuor Nymphae, 2. Persina Regit Helmas in Albania ut dici sivevit, conjux, cum tribus filiabus, Melusina, Meliora & Patentia. 3. Quæ ut decantatissimæ sunt, & frequens in historiis memoria earum, ita abstrusa penitus est, & quod fermè dixerim, nemini earundem origo nota. Pro- 3. stant equidem de singulis integri libri, sed, ne ita quidem aliquid certi constaret apud nos, sine Autore omnes; nisi quod Kornmannus, 4. quædam recitet, quæ vel ex illis desumpta sunt, vel in testimonium quasi proferuntur, nec tamen primam fabulæ originem ostendunt. Sed ne prorsus otiosi hominis figmentum judices, ob- 4.

E

stare

1. *Sirenas Tom. II. Tractat. IV. dicit esse Monstra nata ex Nymphis vel Undenis. Confer Tract. de Natis Animalibus ex Sodomia p. 283. Ubi Sirenes non ex prima creatione provenisse dicit, sed concubitu diversarum specierum.*
2. *Histor. Vitæ & Mortis.*
3. *Vid. Kornmann, in Monte Veneris cap. XXIX. seqq. 4. c. l.*

stare videntur Zeileri Relationes. 5. Confirmantes turrim quæ
 prope arcem Lusinianam in Poictou exstructa fuerit, & anno Chri-
 sti 1574. destructa est, Melusinam olim inhabitasse. Accedit quod
 familia Gallicæ de Lusignan, Sainct Valier, S. Gelais, Roche fou-
 caud, Lansac & de la Lande arbitrentur, sed ab illa Melusina, quæ u-
 xor Raymundi, Comitis Pictaviensis, fuerit descendisse. Quare ad-
 huc Nympham ornamentum galex habent, alij splendide circa ca-
 put compositam, alij passis capillis nudam ad umbilicum usq; adeo
 ad inferiores corporis partes delitescere videantur in vase lavato-
 rio, ex quo paulum retrò surgit corpori adnexa & iudâ serpentinâ,
 quam ferunt effigiem esse ipsius in vulgus notæ Nymphæ Melu-
 sinæ. Aliam, cujusdam de Moreau, vetustioris originis conjectu-
 ram, Limnæus refert. 6. Ex Herodoto habemus, inquit, Hercu-
 lem prægnantem reddidisse Nympham, quæ superius foeminæ spe-
 ciem, inferius serpentis caudam habuerit, exque eadem tres pro-
 genitos fuisse liberos. Ex eorum uno Picti suam deduxerunt ori-
 ginem. A Pictis verò Pictiones Galli, (h. e. incolæ ejus tractus
 qui illis Poictou vocatur) *Inde itaq; probabile est, Comites Picta-
 vienses Historiæ huic fidem adscribentes, ut memoriam generis sui*
 7. *alij clariorem redderunt.* Vereor, ne si penitus in eorum origi-
 nem inquiram, suspicio oriatur admixtæ alicujus divinitatis, qua-
 lem olim heroibus suis tribuebat antiquitas: qui & ob id neque

Dii,

5. *Itinerario per Galliam p. 456. ubi, Es ist auch der Melusinen
 Thurm so nahend dem Schloß gelegen/und in welchen ihr
 Brunn/darvon die Poeten so viel Gedichts gemacht/ge-
 wesen/nicht stehen blieben/wiewol die meisten darvor hiel-
 ten/das man denselben der Gedächtniß halber verschonen
 sollte. Quæ planè conveniunt cum illis, quæ Thuanus habet in de-
 scriptione Lusiniani. In Godofredi porta ad Melusina turrim
 exterius duplex murus protenditur, in ima turre fons Melusi-
 næ, à Poëtis nostratibus decantata fabulis famosus scatet. Hist.
 Lib. LIX. p. 98, De jure publ. Lib. VI. Cap. VI. num. 93.*

Dii, neque homines, sed utrumque esse credebantur. Cujus rei
luculentissimum exemplum est, quod de Castoris, Pollucis, Bacchi,
Alexandri, Romuli, Æsculapij, aliorumque procreatione literis
proditum reperimus: Genitos scilicet fuisse, cum quos ea ætas De-
os, dæmones vocamus illorum matres facto per alienæ forma assi-
mulationem fuco, compressissent. 7. Patet igitur, veræ alicujus
historiæ enarrationem sub hujusmodi involucris reconditam esse:
8. Quam, quod nondum innotuerit mihi, à quovis lubens addisce- 8.
rem. Minor autem, quæ unquam sanos, ut sibi quidem videntur
Philosophos eò adduxerit ratio, ut vera esse publicis scriptis trade-
rent, quæ de his Nymphis communiter recensentur atque in libel-
lis, qui Anonymi prostant (forte conscripti ut otium anicularum,
quibus cordi aliàs sunt ejusmodi fabulæ, levarent, vel juvenum

E 2

etiam

7. Huc faciunt verba Remigij, quæ habentur *Demonolatria Lib. I.*
Cap. VI. Id ea solùm gratia adinventum, excogitatumq; fuisse
forte dixerit aliquis, ut matrum illarum turpitudine eo commen-
to tegeretur: quod pudor fuisset illustribus ortas parentibus,
adulterij, incestus, probri insimulari. Nec æquum fuisset, tam
excellentes præclarosq; belli ac pacis artibus viros, quiq; suis
laboribus, eximiisq; factis rem publicam auxissent, natalium la-
be aliqua aspergi, ac contaminari. 8. Cùm enim non semper li-
cet verum proferre & tamen homines ingeniosi perire rerum
gestarum memoriam nollent, ad hoc tutius veluti per fugium se
recepere. Et juvat sæpè tanquam veste tegi cujus cognitionem
quibusvis patere nolumus, aut id quod jam ante notum est, vel
in allegorias vel in mythologias translatum habere. Reineccius
Methodo legendi & cognoscendi historiam, adnexa Oratione
de Historia ejusq; dignitate p. 175. *ibid.* paulò post: Sunt ejus-
dem forte generis fabulæ & cantus de Theodorico Veronen-
si: Henrico Leone & Melusina Lucemburgica. Melusinae
drama pleniore explicatione indigere videtur, quam omitto.

etiam animos, quorum manibus teruntur, oblectarent) legi possunt: Imò in eos malè inveherentur, 9. qui aliud sentire unquam ausi fuissent. Sed progrediendum nobis est, maximè cum hæc res ad institutum nostrum parùm facere videatur, quod nemo, quantum quidem memini, pro marinis eas venditet: Nisi quod Melusina, cum fidem falleret Raymundus conjux, infimam partem corporis in piscem degenerasse dicatur. Inter eas autem, quæ non ita à persuasionem credulorum, corpus vel imaginem acceperunt, 9. est quoque decantata illa Marpurgensium, die Marpurger Wasser-Nixe. Quæ prima conspecta fuisse perhibetur Anno 1615. d. 13. Octobr. feria sexta propè molendinum Elisabethanum. Habetur in eam carmen conditum apud Hornungium in Cista Medica, ubi Nympham illam de se ipsa loquentem Anonymus aliquis introducit, 10. quo B. L. remissum volo. Quantum tamen, tum ex ipsis versibus illis, tum adjectis notis constat, non fuit ea propriè loquendo Nympha nisi fortè cum Kornmanno omne Phantasma, aut quicquid tandem in aquis insoliti reperitur, vel apparet, Nympham vocare velis. Erat autem metoorum aliquod ignitum, quod 10. forma, gressus & alia satis probant; II. & propterea alienum est à præsentem tractationem nostram, quæ in eas solum inquit, quibus hu-
manos

9. *Theophrast. de Nymphis &c. Tract. IV.* Bey denen Theologen ist solch Ding Teuffels-Gespensst/aber für wahr nicht bey den rechten Theologen/&c. Et paulò post, daß daher wohl erscheinet/ daß Sie (qui pro fabulis habent, aut allegoricè intelligenda esse dicunt) wenig in dem Ding verstehen / überhobeln mit der Kürze/sagen/es seyn Teuffel/da sie doch den Teuffel selbst noch nicht wohl kennen/ 10. *Epist. LXXI.*
11. *Ita ipse Autor.* Daß aber das Marpurgische Gesicht soll Frauen-Gestalt gehabt haben / meldet die Beschreibung nicht/sondern stehet/es habe einen dünnen/subtilen Leib/lang wie eine Schnur oder Schlange / welcher Leib leicht zufahren sey/und wieder zusammen gangen/ 10.

manos vultus natura largita est. Sitemus autem eas proximè sequenti, altera Disputationis hujus parte: Cùm tantisper nobis hic commemorandum sit

DEO LAUS, HONOR ET GLORIA.

E 3

CAP.

ADDITAM.

I.

M Alè de Germanis nostris, Georg. Hornius: Orb. Polit. part. IV. p. m. 36. Inter tot virtutes unico & veluti proprio debonestantur vitio, quod ebrietati (supra quam dici potest) plerumq; indulgeant. Nihil vel publicè vel privatim rectè peragi posse putant, nisi quod inter pocula tractatur, & illud vitium præcipuè Saxonum genti familiare est. Lepidè de hoc Bohemus: De moribus Gent. Lib. III. Cap. XIII. Dictu incredibile est, quantum hujus liquoris (cerevisia) in se immodestissima gens capiat, quantum mutuò adhibendum cogant & hortentur: non sus, non taurus tantum ingurgitaret. Non ad ebrietatem atq; vomitum potasse sufficit, sed rursus ad sobrietatem &c. Verum id quidem est; diem noctemq; continuare potanto nulli apud ipsos probrum; quod etiam suo tempore Tacitus jam observavit. De Mor. Germ. Cap. XXII. Sed falso tamen & per calumniam soli nostræ Germanorum genti velut proprium quoddam belluandi vitium affingitur. Sententiam dicunt Plautus, Horatius, Ovidius & qui præ cæteris legi meretur Plutarchus in vita Alexandri, p. m. 309.

II.

II.

Benè Mathesis in Puram & Impuram, malè in Superiorem & Inferiorem dividitur.

III.

Linea non est Longitudo sine latitudine & profunditate. Nec superficies longitudo cum latitudine absq; profunditate. Quantitatem etiam puncta non constituunt.

IV.

Insulsa & cachinno excipienda distinctio est, quâ corpus in superficiale & solidum dirimitur.

V.

Logica est universalissima.

VI.

Plus sepè confundunt, quàm juvant, qui his subtilitatibus, quales de genere occurrunt, nimis immorantur.

VII.

Metaphysica non est complexus scientiarum omnium.

VIII.

Nibil quâ tale, non est intelligibile.

IX.

Spiritus mundi est figmentum.

X.

Ex motu cœli nullus sonus, nulla harmonia oritur.

XI.

XI.

Voluntati violentia inferri non potest.

XII.

Iustitia semper est ad alterum.

XIII.

Non sunt tolerandi in Republ. qui pro carbonibus cineres, pro metallis & auro fa. villas micantes in furno relinquant.

XIV.

Melior est Respubl. & propemodum tutior, in qua Princeps malus, ea in qua mali Principis administri. Maxime autem odiosum reddunt Regem peregrini servi.

XV.

Laudabile erat decretum Reipubl. Venetae, quo extra urbem & ditionem Venetam perpetuo exulare jubebantur pacis illi turbatores Jesuitae.

XVI.

Schelm/ an à Schild nehmi/ & è Taciti de Mor. Germ. Cap. VI. solide deduci possit dubito.

XVII.

Quid sentiendum: An asinum unicum granum papaveris, quod ultimum aliis superimponantur, suppressere valeat?



DISPUTATIONIS SECUNDÆ

De
NYMPHIS,

nobis

Wasser-Nixen/

PARS SECUNDA,

Postrema vice

PRO LOCO

In Facultate Philos. obtinendo habita

d. 15. Septembris 1675.

B. C. D.

PRiori Disputationis nostræ parte, præmissa nominis evolutione, Autorum opiniones recensere licuit, & quasi per transennam ostendare, quæ unquam Nympharum nomine inclaruerunt. Quum verò per remotiorem potius ea nobis tractata fuerint, superest, ut quæ incognitionem earundem deducere valent, cum vera sententia proponamus. Hinc corpora & spiritus, pisces scil. atq; demones in scenam producendi erunt, quorum illos formâ humana vestire naturæ placuit, hos fraudes & technæ eandem intuere voluerunt, quippe, quâ in terrorem mortalium & perniciem utuntur. Tu JESU juua!

CAPUT. IV.

1. Nympha pisces. 2. Duplicis illi generis. 3. Testimonium Plinij. 4. Danor. 5. Primum genus describitur, speciatim fœmella. 6. Mas. 7. Aliud exemplum. 8. Pisces monachi formes. Theophrasti de illis sententia. 10. Schotti. 11. Rejicitur.

Post

Posteaquam Marpurgensium illa Nympha 1.) tenues in auras
penitus evanuit, alias spectatum digredimur; Pisces nempe 1.
hominiformes, quos imo maris fundo protractos speculari
licet. Duplicis autem generis faciunt has Undenas: Quarum 2.
quædam structuram corporis humani pubetenus tantum, postre-
mis in piscem desinentibus; quædam omni corporis sui mole
absolutissimam similitudinem referunt. Equidem ridiculum vi-
deri posset, dicere, fuisse unquam aliqua animalia è duabus tam di-
versis formis composita, ut altera pars esset hominis, altera piscis,
cum neutrum horum animalium in aquis simul & sicco vivat; nisi
& veterum exempla & modernorum testimonia probatum darent.
Ita Plinius 2.) *Nereidum falsa non est forma* 3.) *squamis modo hispi-* 3.
do corpore, etiam quæ humanam effigiem habent. Namque hæc in
eodem spectata, littore est, cujus morientis etiam gannitum tristem
acolæ audivere longè. Et D. Augusto Legatus Gallia, complures
in littore apparere exanimes Nereides scripsit.

His addere non gravabor, quæ superioribus annis nobis No-
velle nunciârunt. Was von vielen für eine Fabel ist gehalten
worden/scheinet nun in Dennemarck für die aufrichtige Wahr-
heit

1.) *Vid. Dssput. I. cap. III. num. 9.* 2.) *H. N. lib. IX. cap. V.* 3.) *Non*
est cur hic sibi contrarium quis putet Plinium, quod Lib. X.
cap. XLIX. in hæc verba scribat: Nec Sirenes impetraverint
fidem, licet affirmet Dino, Clitarchi celebrati autoris pater,
in India esse, mulcerique earum cantu, quos gravatos somno
lacerant. Nam quod ex seqq. verbis patet, ipse non Sirenes,
quæ infimam partem pisces sint, intelligit, sed quæ in aves desi-
nant. Atq; has non Plinius tantum, sed alij etiam rectè ne-
gant, quippe quæ Poëtarum figmentum sunt, quo significarunt
vel meretrices, vel loca quædam maritima, navigantibus ma-
ximè periculosa & exitialia. Vid. Disp. I. cap. I. ad num. 26.

4. heit zu pafiren/ 4.) ob Meer-Männer oder Weiber in der See zu finden/oder nicht? über dieser Sache find im Monat Augusto, 1669. vierzehnen Schiff-fahrende Leute (deren einige daselbst Bürger und Eingefessene waren) zu Coppenhagen unterfraget worden/welche bejahen/dasß sie zwischen Malmoe und ietzt-erwehnter Stadt hätten ein See-Weib oder Wasser-Nymphe durch die See schwimmen gesehen/ und wäre der Hinter-Leib als das Hintertheil eines Fisches/der Ober-Leib aber/als eine wohl-formirte Frau gestalt gewesen / mit schwarzen Augen/vollkommenen Brüsten/weissen Händen/so/als sie ein Weibsbild haben möchte. Sie hattē im fahren dieses See-Weib nicht über 4. Schritte von ihren Schiffs-Porte/ fuhr aber mit einigen Geschrey wieder hinunter. Als Sie aber einige Stück Brod in die See worffen/kam es wieder oben/spielte mit dem Brod/warff es in die Höhe/und fing es wieder. Endlich sanck es wieder unter/und Sie sahen nicht mehr.

Lepide, & vivis, quod ajunt, coloribus, depictas Schottus sitit 5.) quando: Cerne caput hujus *fæmelle*, longâ quadam cæsariè, at minimè pilosa, sed in cirros quosdam carneos & pulposos distensâ vestitum. Vides faciam quidem pulchram, oculorum vivacitate decoram & marblandam, sed qui ad decoris complementum unicè desiderabatur, naso destitutam è Cernisne brachia solitis hominum longiora, manusq; non in digitos, more humano discretas, sed ad instar pedum anserinorum, cartilagine iuterceptas, ad natandum à natura sic constitutas? Aspice rotundas & tumidas mamillas, quam candore niveo pectus venterq; niteant, quanto splendore coruscant. Sed ea, quam pellem putas, illa nihil aliud est, quam candissimis minutissimisq; squamulis contextum naturæ opus. Quod ut in omnibus aliis piscibus, eximio nitore fulget.

Aliter

4.) Vid. Schauplatz des Krieges/aufgerichtet in denen vereinigten Niederlanden part. I. p. m. 119. 5.) Itinerar. Exstat. Itin. II. Dialog. III. cap. I.

Aliter paulò de *mare* loquitur. Non hominis, inquit, sed ca-
codamonis mihi figuram referre videtur. Quam omni formâ de-
stituta facies? Quam torti oculi; quam genas inconcinnas, rugisq;
oppletas; quam barbam ridiculam; verius pulpam carnis dixeris.
Quam incompositos capillos, si tamen capilli dici possunt. Quam
monstrôsæ manus; alis vespertilionum, quam humanis similiore.
Quam asperum squamis corpus. Verbo, fabrica prorsus à fœmina
disparata, & humanæ tamen figuræ, si membrorum ordinem & si-
tum observes, atque ingentem, in quam terminatur, capdam exci-
pias, non dissimilem.

Hoc *Monstrum horrendum, informe*, dicas, & tamen deformita-
te superari ab illo marino homine, qui apud urbem sibinicum in
Illyrico captus memoratur. 6.) Ille cum ad mare puerum traheret, 6.
ab accurrentibus, qui rem inspexerant, lapidibus fustibusq; vulne-
ratus, & in solum retractus est. Eius effigies penè humana, nisi quod
oculis angvillæ similis erat, & in capite duo parva habebat cornua.
Manus quoque duorum tantum digitorum formam exprimebant.
Pedes autem in duas veluti causas desinebant, à quibus ad brachia
alæ, ut in vespertilione extenuabantur. Huc referes illa monachi-
formia, quorum frequens apud Autores mentio est. Tale Mon-
strum 7.) superiori seculo captum est in Norwegia mari procelloso. 7.
Id quotquot viderunt, statim monachi nomen imposuerunt. Hu-
mana facie esse videbatur, 8.) sed rustica & agresti, capite raso & laevi. 8.

E 2 Hu-
6.) *Majol. Dier. canicul. Tom. I. colloq. IX. 7.) Majolus c. I. ubi ad
annum refert 1531. 8.) Iconismum & Gesnerus & Schoetus lib.
III. cap. III. exhibet. Ubi illam effigiem Rondeletio dono dedis-
se dicit Navarre Reginam, Margaretham, que ipsa eandem
habuit à viro nobili, qui affirmaret, se hoc monstrum in Norwe-
gia captum vidisse. Sed, quod sentio, quedam præter rei verita-
tem à pictoribus addida fuisse puto, ut res mirabilior haberetur.
Crediderim igitur monstrum hoc humanam formam eo modo
referre, quo pars capitis ranarum, quia post caput partes erant*

Humeros contegebat veluti Monachorum cucullus, & pinnas duas longas pro brachiis habebat. Pars infima in caudam desinebat, media autem multo erat latior, figura sagi militaris.

Hos Tritones, quos Curia Romana amasios aut gnathones, eò colonias ducentes, diceret, aut pro umbris eorū haberet, quæ pertimescentes Purgatorij flammam, fluctus accersitum abierint; Theophrastus 9.) Monstra, ex Sirenis vel Nymphis prognata putat. Quemadmodum enim inquit, ex stellis nascuntur cometae, qui magnum aliquid portentat; ita ex Undenis proveniunt Monstra, qualia monachiformia, quæ DEUS producit, ut ex eorum inspectione de futuris solliciti à peccatis nobis cavere discamus. Sanè si verum fateri licet, ut in aliis Theophrastus non placeat, hic non multum à veritatis orbita aberravit. Monstra esse, facile præsumendum, sive Nymphis nostris, sive aliunde nata fuerint.

Neq; enim hic locum habebit illud Schotti, 10.) ubi aquarum regionem & temperiem, causam talis excedentis deformitatis facit dicens: Sicut in telluris superficie, pro soli aerisq; natura & conditione, in uno loco pulchriores homines, animaliaq; quam in aliis gignuntur, ita & in Oceano, peculiari aquarum proprietate hujusmodi monstra humanae formæ nunc conformiora, nunc eidem minus conformia producuntur. Illud Vitruvio II.) & Schotto dabo, aquarum proprietatem sequi habitum incolarum pulchrum vel deformem: Omnem autem fabricam corporum eam immutare posse, me tacente experientia reclamat.

utrinq; late hominum omoplatas respondentes, musculisq; movebantur, qui cuculli monachorum figuram representant; qualis in nobis spectatur secundus musculus omoplatas movens, scilicet eas partim ad sese attrahens, partim attollens, cuculli monachorum formam aptissime referens. 9.) Tom. II. Tract. IV. 10.) Itinerarij c. l. II.) Referente Mizaldo centur. I. aphor. LXXVIII. ubi proinde ex membratura & corporis habitu incolarum pulchro, vel deformi, naturam aquarum cujusq; regionis explorare docet.

CAPUT V.

1. Alterum genus piscium.
2. Exemplum Alex. ab Alex.
3. Gillij.
4. Ludovici Vivis.
5. Majoli.
6. De ortu eorum sententia Ludovici.
7. Refutatur.
8. Alia opinio.
9. Habentur pro certa specie.
10. Illustratur exemplis.
11. An homines feri.
12. Nulla ratione præditi.
13. Ingeniosa industria pollentes.

Pergo ad eas Nymphas, quarum inferior etiam pars hominem assumulat, & pedibus erectæ ut alij terrigenæ incedunt. Quarum studia & gestus, quin & loquela, eas pisciū genere eximere videtur. Super omnia, inquit Alexander ab Alex. 1.) nostro ævo 1. factum accepimus in Epiro, profectò exemplum inter pauca memorabile quod nonnulli prodendum posteris putârunt, & actis quoq; publicis testatum est. Ad fontem jugis aquæ, ad quem mulieres ex oppidulo aquarum ventitabant, Tritonem seu marinum hominem è speluncâ, quam fortè ibi nactus fuerat, observare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per littus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis & spelunca leni gressu, tacitisq; vestigiis desilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex insidiis adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptamq; sub undis deferre consuevisse. Quod cum apud loci incolas percrebuisset, diligentius marinum monstrum observasse & cum diutule laqueos illi intendissent, haud multò post dolo captum & laqueis vinctum cepisse; cumq; cibo abstineret, extra aquas diu vivere nequisset, squalore tandem ac tædio ad extremam tabem venisse. Huic non ablimile est, quod Fortunius Licetus 2.) refert. Quum Venetiis 2. essem, inquit Gillius; quidam Dalmatiæ spectata fide viri, mihi religiosè testati sunt, se ad oppidum Dalmatiæ, Spalatum nuncupatum, vidisse marinum hominem, qui se spectantibus summum terrorem injecit, quum se in terram incitavisset, ut mulierem, quæ circum litus tum versabatur, corripere. Verum ubi eam fugete perspexit,

F 3

statim

1.) *Geni. I, dier. cap. VIII.* 2.) *De Monstris lib. II, cap. LXXXVI.*

statim ad mare regressus imam maris sedem pedivit. Eundem mihi descripserunt hominis omnino speciem, similitudinemq; gerere.

3. Ludovicus Vives 3.) dicit ætate sua apud Batavos Tritonem visum à plurimis & supra duos annos ibi detentum. Fuisse autem mutum, & cum jam incepisset fari, peste tactum fuisse, in mare remissum, gaudentem & explientem. Similiter in Hollandiæ lacu anno 4. 1403. fuit Nympha eò è mari rejecta; 4.) quæ in Harlemum urbem delata, cum nuda esset, passa est se vestibus indui, panis, lactis, & cæterorum usum admisit. Didicit quoque fila è colo ducere, & obsequi rebus multis muliebri more, simul & Christo crucifixo genua flectens venerabunda, docilis ad omnia, quæ mandaret patrona. Nunquam tamen locuta est, semper muta, annos multos ibi vivens. Nolo tamen in recensendis exemplis tempus terere, ne defatigare potius animum Lectoris videar, quam testimonia conquirere. Unde ad ea dubia tollenda propero, quæ circa ortum Nympharum suboriri poterant.

5. Idem Vives 5.) pro veris hominibus eas habet, ex terrigenis pronatis, qui continentis pertæsi in aquis vivere consueverunt. Ita colligo ex verbis: Sunt etiam homines in mari sicut in terra; quod pro indubitato est habendum, vivere homines integros in mari, sicut Plinius tradit. Quorum unus captus est ante annos duodecim Batavia (loquitur autem de eo, cujus paulo antè mentio facta est) quem viderunt plurimi. *Sed isti, pergit, quoq; ex terrestribus sunt hominibus progeniti. Nam sunt, subjungit, in quibusdam locis marinis, homines maximopere dediti natatui, cui exercitationi assuescunt pueros suos, ut hi diutissime possint durare sub aquis.* Filij horum, addit, in aquis penè geniti, nati & educati, habitatione ejusmodi non aliter delectantur, quam pisces. Ita quemadmodum alii homines in arido, sic hi vivunt in mari,

Nemo tamen est, qui non sentiat, quam vim Vives veritati inferat. Adeone homo, cui à Deo conditor terra habitationi data est;

1.) De veritate fidei Christ. lib. II. 4.) Teste Majolo c. l. 5.) Supra c. l.

est; quem sociabilem natura esse voluit & ratio, omni terricolarum
confortio se subducere potest & fluctibus addicere; imò tandem in
aquis delitescere, ut omnem etiam lingvæ usum perdat? Illud uti-
que concedunt omnes, quod etiam supra 6.) largiebamur, fuisse, vel 6.
hodiernum reperiri aliquos, qui in tantum sint natatui dediti, ut
agrè extra aquas vivant. Sed continuum, nullis vicibus interrup-
tum maris incolatum homini concedere, ipsa hominis indigen-
tia non permittit, cujus, quin sui ipsius penitus oblitum esse oportet,
qui asserere talia, & propugnare audeat.

Tum nemo animum inducat suum, præter naturam fortè ex fe-
ra & homine hoc genus productum esse, quemadmodum ex speci-
erum commistione, novi, & planè stupendi partus producuntur. 7.) 7.

Suam
6.) *Disp. I. cap. II. 7.) Africa bos maximè spectat, inopiâ aquarum
ad paucos amnes congregantibus se feris. Ideò multiformes ibi
animalium partus sunt, varie foeminis cujusque generis ma-
res, aut vi, aut voluptate admittentibus. Unde etiam vulga-
re Græciæ dictum: Semper aliquid novi Africam afferre.
Plin. Hist. Nat. lib. VIII. cap. XV. Quod nefas utinam Africa de-
serta non excessisset, & homo illo crimine careret. Cardanus de
Variet. rerum lib. XIV. cap. ult. ex Volaterano refert, ex cane &
muliere natum infantem, formâ humanâ in superiore parte.
Similiter ex homine & vacca prolem prodisse, autores sunt Lice-
tus de Monstris lib. 2. c. 68. & Majolus Canicular. part. II. colloq.
3. Imprimis notatu dignum est, si crimine vis absolvit, quod Ca-
stane de annales Lusitaniæ commemorant, de muliere, que ob pa-
tratam scelus navi in Insulam desertam deportata fuit. Eam
simius secum prægrandis in antrum duxit, pomorum, nucum &
radicum variarum copiam fecit, tandem coegit ad stuprum,
quod facinus aliquot annis continuatum, donec ipsa, cum jam
duos ex fera liberos peperisset, à militibus, qui è navi Lusita-
nica que tum fortè appulerat, aquatam descenderant, calamito-
sissima servitute liberata fuit.*

8. Suam enim certam formam habent 8.] inter genera aquatilium numerandam. Quæ ipsa, quare piscibus concessa fuerit: nostrum non est, curiosè disquirere. Sufficiat, nobis pro ratione Creatoris voluntas, quæ mare & terram de incolis quasi certare voluit. 9.) Unde
10. mea ad te faciam illa Schotti verba 10.) Si nosset, cur inter animalia quadrupedia simias & Cercopithecus, natura hominibus & figura & moribus haud absimiles constituerit; cur inter aves Pequinos, maris Magellanicæ accolas, erecto corpore, hominis at instar incedere voluerit; cur inter plantas florem Orchidis perfectum utriusq; sexus hominè abdito quodam molimine machinata sit; radicibus quoq; uti in Mandragora hominis corpus exprimat, cur in mediis quoq; lapidibus Achatibus, Marmoribusq; & aliis in profundissimis telluris caveis, reconditis saxis, tum humanæ figuræ formam, tum cæterorum animalium, vegetabiliumq; figuram insculpat & excudat, forsitan non tantum mirareris. Gaudet natura hujusmodi rerum ludibriis, & uti omnia in omnibus esse intendit, ita pro conditione singulis entium gradibus laborat, quantum potest: Ut si non sensum, saltem vitam; si non vitam, saltem figuram nudam, iis ad suam in universi decoris majestatem attestandam imprimat. Appetunt enim omnia ultimam sui perfectionem & potissimum similem homini, qui est post DEUM immediatè rerum omnium finis, figuram. Quam, cum debitis naturæ claustris impedita consequi non possint, nonnulla quantum possunt agunt, ut eandem si non veram, saltem secundum analogiam quandam constitutam consequantur.

Unicum addendum. Theophrastus Undenas nostras, vocat homines feros, 11.) nec aliam inter Nymphas & homines differentiam agnoscit,

8.) *Satis hoc est indicasse Scaligero de subtil. Ex exercit. CCXXI. 9.) Non minus mare quam terra suos nutrit vitulos, canes, ursos, apros, lepores, lupos, vulpes, asellos; Suos itidem phasianos, perdices, corvos, birundines & passeres, de quo Plinius passim. Sperling. Zoolog. lib. V. cap. I. axiom. IV. 10.) Itinerar. c. l. 11.) Libro de Nymphis p. m. 186.*

agnoscit, quam quæ suam & aprum intercedit. Notasse sufficit. Dan-
dum hoc est Theophrasto, agyræ plebicolæ, qui plus verbis, quam
eruditione præstat. 12.) Rectius hominiformes dixisset, quæ nihil 12.
in actionibus suis humanæ ratiocinationis ostenderunt. Nam fari
possunt & Psittaci, aliæque aves. 13.) Crucem formare aliæque simi- 13.
lia possunt ac solent Simiæ. Adde quod Dei Cõditoris providentiæ,
& Redemptoris bonitati consentaneum non sit, homines ab Adamo
per seminalem propagationem descententes, alios enim non agno-
scim9 14.) marinis fluctibus perpetuò addicere, & ab hominum alio- 14.

G

12.) De Theophrasto malè sentiunt omnes atates. Imò ejus amanuensis
& famulus Oporinus, & compopulares. Henricus Bullingerus,
Erastus, Gesnerus, quorum judicia in unum collegit Athanasius
Kircherus celeberrimus nostri temporis scriptor, in Mundo Sub-
terraneo Tom. II. p. 277. Si quando pecunia carebat, inquit Ges-
nerus, Medicus & Philosophus nec non rerum Chymicarum peri-
tissimus, per diversas Helvetiæ, Germaniæ & Poloniæ Regiones
vagabundus Medicinam exercebat, &c. Dæmone utebatur fa-
miliari, uti ex ejus discipulo audiui. Naturâ & eloquentiâ,
quàm literis & studiò doctior, prorsus inconstans, nunc Me-
dicus, modò Magus, sæpe compotator & aleator inter rusti-
cos. Ita de Pica Martialis:

Pica loquor dominum certâ cum voce saluto,

Si me non videas, esse negabis avem.

Notum etiam in vulgus est, quod Macrobius Saturnal. Lib. II.
cap. X. de corvis memorat, Casarem Augustum salutantibus.
Simile de corvo habet Plinius lib. X. cap. XLIII, Ille mature ser-
moni assuefactus omnibus matutinis evolans in rostra, in forum
versus, Tiberium deinde Germanicum & Drusum, Casares no-
minatim, mox transeuntem populum salutabat. Quod verò de
Hyæna, Crocuta & Mantichora idem Plinius lib. IX. cap. XXX.
refert, potius cum Scaligero silentio involvo. Exercit. CCXVII.
num. VII. 14.) Sequeretur enim hoc absurdum, inquit Voetius diss.
sel. part. IX. p. m. 745 plures homines quam octo superfuisse dilu-

rum consortio penitus avellere. Illud pro comperto habendum est, Nymphas & Tritoni ingeniosa admodum industria pollere: Siquidem ad littora Oceani inaccessus hominibus latibulis, atq; extra omnem maris injuriam longè semotis, domus sibi admirando artificio ex conchis conchylisq; congestis exstruunt. Comeatum venatione interceptum intra loculos quosdam condunt, ad necessarium illis, tempore urgentis famis alimentum. Arenam lutosam in formam lecti, quo lassa membra recondant, congerunt, terram quoque in solationis gratiam ad instar amphibiorum petunt, unde & à barbaris Sofalæ oram incolentibus, ubi maximè stabulantur, in nefariæ Veneris usum quæruntur. 15.) Quis verò hæc rationem dicet arguere; nisi qui ipse eâ destitutus eandem formicis tribuat, abjectissimis omnium animalculis. Quin & castorem rationalem dicere oportebit, quod circa aquas cubicula, variis contignationibus aptissimè contabulata construat. 16.] Imò lignis ad fluvium delatis aliquam aquæ portionem sepire dicitur, ne flumine æstivis caloribus decrescente, aquis destituatur, quibus indiget, ad humectandas partes posteriores. Nam altera sui parte quadrupedem, altera piscem, refert.

vio Noachico, omnes scil. marinos, contra 2. Pet. 2. v. 5. Gen. 7. v. 21. 22. 23. 15.) Ex relatione Schotti itiner. itin. 3. dial. 3. cap. 1. 16.) Teste Bodino in Theatro naturæ lib. 3. p. m. 336.

CAPUT VI.

1. Spiritus an sit. 2. Quid. 3. Quotuplex. 4. Spectra in aquis apparentia. 5. Platoniorum error notatur. 6. Assumunt humanam formam. 7. Testimonium Lutheri. 8. Calovii. 9. Ex Sacris. 10. An certum genus demonum. 11. Sententia Tritheimii de igneo, 12. Aereo, 13. Terrestri, 14. Aquatico, 15. Psellis, 16. Eugubini, 17. Rejicitur.

HActenus pisces hominiformes contemplati sumus. Succedunt
 1. **H**am Spectra 1.) quorum conspectum fugere non licebit. Rideat
 1.) Ita vocabimus commode demones forma humana in aquis apparentes, etiam ex eorum mente qui ratione operationum aliquam differentiam quærunt inter spiritus malos, & totò genere distinguunt eos concipiunt demones, satanam & diabolum.

deat igitur Horatius 2.) & ineptire nos Democritus dicat 3.) quod 2.
eas (ex sententia eorum loquar) multiformes passiones, quas brevi 3.
momento phantasia vertit in imaginum species, pro vero agnosca-
mus. 4.) Rationi tamen tot exemplis confirmata non reluctabimur. 4.
5.) Suppono igitur esse prater motus & affectus animorum 6.) vir- 5.
tutes itemque Dei 7.) aliquid, quod nobis spiritus dicitur. *Substantia* 6.
nempe creata independens à corpore. Hic ratione status & quali- 7.
tatis in bonum & malum dividitur. Quod etsi à Scriptura sola disti- 8.
ctè notum sit, aliquam tamen esse spirituum diversitatem, ut alij 9.
boni sint, alij mali, naturæ etiam lumine quadantenus constat. Si-
quidem id ex effectis & operationibus eorum diversis colligatur 3. 11.
8.) utat unde diversitas illa ortum habeat, naturæ lumine haud agno- 8.
sca-
s.) *Epist. II. meticulosum putat, qui non*
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaq; Thessala ridet.
3.) *Pro fabulis habebat quod de Spiritibus alij commemora-*
bant. Unde pueros, qui, ipso in sepulchro ad vanitatem spe-
ctrorum condicendam, solitario vivente, per lasciviam è spe-
luncis tumultus excitabant, ut terrorem atque metum incute-
rent Philosopho, admonuit, ut ineptire desinere. Quo de La-
ërtius in ejus vita. 4.) Ita Cassius ad Brutum. Noster, inquit,
O Brute, hic sermo est, quod non omnia verè videmus, sed
mutabile ac deceptibile quiddam noster sensus est. &c. *Ima-*
ginatio enim cere similis est. Demones nullo pacto esse credibi-
le est. Apud Plutarch. in vita Bruti p. m. 361. 5.) Potissimum
namq; argumentum, quod Philosophus pro existentia Spirituum
nectit, ab exemplis desumptum est. Quomocunq; enim ab or-
dine ac perfectione universi colligat, tamen robur *deus* ab
isto vix expectare licebit, quum intercedat liberrima Creato-
ris voluntas. 6.) 7.) Ita sentiunt qui spirituum, vel angelo-
rum existentiam negant. *Templ. Metaph. Syst. I. IV. cap. 4.*
94. 8.) Kromayer Theol. Prof. Pal. (antic. IV. Th. 10. p. 286.
8.) Planum hoc est in correptitiis, vel emergentis, qui sepe

scamus, Gentiles sanè Spiritus & bonos & malos credidisse: è Socra-
te, Platone, aliisque notum est. Quamvis dubium non sit, eos de
spiritibus multa quæ tradiderunt, à Judæis accepisse, ac commen-
tis fabulisque suis involvisse.

Atque hoc spiritus, speciatim malos hic intellectos volumus,
per spectra, quæ forma humana in aquis apparere diximus, qui pas-
sim diaboli, dæmones vocantur. Alij autem sunt hi dæmones ab il-
9. lis commentitiis Platoniorum, 9.) quorum sententiam imitatus
10. Cardanus 10.) quando eos definit per *animalia invisibilia mortalia,*
corpore perfecta, quippe qui omni corpore, & consequenter, quod
11. Epicuro largimur 11.) formâ humanâ destituuntur. Unde si quando

admiranda patrant, notitiâ & viribus propriis notoriè superiora.
Utpotè cum lingvis incognitis loquuntur, de rebus captum suum
superantibus differunt, tale robur ostentant, quod humanis viri-
bus non dicam unius hominis, sed multorum est longè superius.

Quod cum à principiò extrinseco proficisci necesse sit; vel De-
us, vel anima separata, vel Spiritus in commercium vocandus.

Non Deus, propter blasphemias, mendacia &c. Neq; anima,
quia, teste Philosophò, proprium tantum corpus informat. Ergo
spiritus, & in actionibus quidem turpissimis ac malis, malus.

Vide præterea, quod suâ etate contigisse commemorat Delrio Dis-
quisit. Magic. lib. III. part. I. qu. 7. sect. 2. cui si placet adde

Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. IV. cap. XIX. 9.] Legendus
hic est Apulejus de Deo Socratis, Marsilius Ficinus super Platon.

Ennead. III. lib. IV. Ita autem de commentis illis Ludovicus Vi-
ves in Comment. super Augustini de Civ. Dei lib. IX. cap. 2. In

istis de diis, deq; demonibus sententiis, mirum quam inter se
discrepent homines ejusdem hæresis. Alia sentit Apulejus, quam

Plato: alij Plotinus, quam Apulejus: Diversa ab his Porphyrius,
nec cum Jamblicho, aut quodam alio in omnibus convenit Pro-

clo. Nimirum demonibus ipsis pro natura sua varia illis & fal-
sacia dictitantibus, 10.) De Var. Rer. lib. XVI. cap. XCIII. 11.) Plus

sarch. vid. in Vita Bruti.

apparere contendunt, corpus sibi ex sublunaribus formare necesse
 habent, cui per modum formæ adstantis motū largiuntur 12.) Hæc 12.
 ut facilius fidem impetrent, præclarum Lutheri testimonium produ-
 cam. *In etlichen Orten/ inquit 13.) findet man Nixen/ die die 13.*
Kinder am Rande ins Wasser reizen/ und ersäuffen/ das sind al-
les Teuffel. Cum quo consentit Magnus Calovius, Præceptor no-
 ster æternum colendus, ita scribens: 14.) Ad cacodæmonis præstigiis 14.
 & illusiones merito refertur &c. Quibus etiam spiritus sub aquis
 degentes, quos hîc Neckart (suprà Neckers 15.) vocant, tribuendi. 15.
 Mera nempe sunt dæmonia, meræ dæmoniorum illusiones & præsti-
 giæ, quibus simpliciorum credulitatem & superstitionem fovet, &
 ad Dæmono latriam viam præparat diabolus: dominium ut in aère
 ita in terra, & sub terra, in mineralibus & metallis (aqua) affectans,
 ut ad superstitionem pronos inescet, ac ad sui cultum & obsequium,
 inde ducere liceret, quod figuram piscis & aquas amet diabolus, ac
 planè piscis formâ colit voluerit à Pelischtæis. 16.) Quale dæmoni- 16.
 um illud etiam fuisse ex sententia quorundam Pineda refert, 17.) 17.
 quod Christus Luc. XI. ejecit. Unde fortè ansam nacti, qui per Le-
 viathan 18.) diabolum, licet allegorico sensu intellexerunt. 18.

G 3

Con-

12.) Schotti Phys. Cur. lib. II. cap. XXXII. Delrio Disqv. Magic. lib. II.
 qv. 28. sect. I. Malleus malefic. part. II. qv. 4. 13.) In explicat.
 Evang. Dominica Oculi. 14.) System. Theol. Tom. V. art. 1. cap. I.
 qv. 3. p. m. 44. 15.) Disp. I. cap. 1. num. 7. 16.) Dagon ex quo-
 rundam sententiâ inferne piscis erat. Quamquam Lyranus ex o-
 pinione Hebræorum caput habuisse piscis asserat. Job. de Pineda
 Comm. ad vers. 20. cap. XL. Jobi p. m. 640. vid. etiam Tremellij
 vers. judic. XVI. v. 23. & 1. Sam. 5. v. 4. 17.) proxime cit. locò.
 18.) Mentio ejus fit Job. XL. v. 20 dicitur à תנין, quasi additamen-
 tum, quia, ut vult Pineda ad d. l. ostrea & herba illius cuti adna-
 scuntur: quod contingere dicit, & causam reddit Kircherus
 Mundi subterr. T. II. l. 12. sect. I. c. 8. p. 344. Rectius ex mente
 Merceri à variarum squamarum connexionione in Comment. p.
 332. Inde Beza Crocodilum intelligis, quod ex cetis nullus pror-

Constituunt autem Magici scriptores certum genus, quod in
 æquora dominetur, cui ab hoc elemento nomen indiderunt, & a-
 19. queum vocari volunt: Quæ ut omnibus pateant Trithemij verba 19.)
 huc referre non gravabor. Primum, ait, genus dæmonum appella-
 tur *igneum*, quod circa superiorem pervagatur aërem, nec unquam
 ante judicij diem ad inferiora demergitur, sed continuo sub regio-
 nibus permanens sublunariibus, nullum habet cum hominibus in
 terra commercium. Secundum genus *aëreum* dicitur, quod in aëre
 errans, nobis propinquo commoratur. Hi quidem possunt ad infe-
 riora descendere, ac assumtis de crassiori aëre corporibus, quandoq;
 hominibus apparere. Aëra, permittente DEO, sæpius turbant, toni-
 trua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem huma-
 ni generis conspirant. Tertium genus dæmonum, *terrestrium* di-
 cimus, quos prolapsos de cœlo in terram, pro suis demeritis, mini-
 mè dubitamus. Atq; ex his dæmonibus alij versantur in sylvis atq;
 nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias, alij verò putidis de-
 gunt in campis, qui noctu aberrare faciunt itinerantes; Nonnulli
 demorantur in locis abditis, atq; cavernis. Quartum genus deno-
 minatur *aquaticum*, quoniam se humoribus immergens, circa fluvios
 & lacos habitat, irâ plenum, turbatum, inquietum, & fraudulentum,
 quod in mari tempestates concitat, navigiaque demergens in pro-
 fundum, multis vitam aufert in aquis. Et isti dæmones, quoties as-
 sumunt corpus visibile, in sexu frequentius apparent fœminino, in
 masculino rarius videntur, propterea quod in locis versantur hu-
 midis & mollioribus rem vitæ ductum sequuntur, nec virile schema
 facilè cæterorum consuetudine possunt assumere &c.

20. Paria ex Psellio Cardan. habet 20.] Igneum in sublimi aëre versa-
 tur, minusq; noxium & ad peccandum pronum. Aëreum, quod circa

nos,
 sus piscis squamas gerat, apud Coccejum ad d. l. Jobi p. 547.
 Quamquam Jac. Bolducius p. 931 potius de genere generalissimo
 quam certa marinorum specie interpretari malit. 19.) Ex libro
 quest. ad Maximil. Caf. qu. V. refert ea Delrio c. l. qu. XXXVII,
 sect. II. 20.) de Var. Rer. lib. XVI. cap. XCIII. p. m. 805.

nos, & quod deterius est primo, peccati tamen poenitentia agitur, ut homines. Terreum, quod non secus, ac homines circa terram versatur, pravorumque morum est. Aqueum quod in mari, fluminibus & lacubus habitat. Excitat tempestates & multis modis navigantibus insidiatur &c. & pag. seq. Terrei & aquei medii sunt inter hos in omnibus, *sed tamen aquei faeminarum* (formas induunt) *inde Nympha Nereidesque &c.* sub his formis diu manent, qui eis plurimum delectantur. Cui sententia non contra dicit Eugubinus, ad Porphyrij sententiam de corpusculis aereis ex nidoribus pingvescentibus, haec subiiciens. 21.) *Quae forte vera sunt, ut proinde locis humidioribus* 21. *inhereant.* Nos ex Sacris aliter informati commenta illa ex lacunis Platonice hausta suis magistris relinquimus, satis habentes unum, alterumve testimonij loco produxisse, unde spiritus malos forma humana quandoque in aquis apparere constet.

Possent hac variis exemplis illustrare, nisi & tempori & chartae parcendum esset. Qui ea cupit, adeat *Bonfinium* Decad. I. lib. VIII. *Bonoensem Medicum, Leonbardum Fioravantum* Phys. lib. III. cap. 7. *Vincentij Speculum naturale*, lib. III. *Abelini Theatrum Europaeum*, Tritonem navi Danica susceptum homini per simillimum ostendens. Qui locus praeter ceteris singulari disquisitione non indignus habebitur. Ex dictis sequitur

21.) *vid. Calov. c. l.*

CONCLUSIO I.

Omnes Nympha, in lacubus, stagnis, fontibus, puteis &c. apparens est spectrum.

Ratio concludendi patet 1.) ex cap. I. ubi demonstratum, Najaedes nil nisi Poetarum foetus esse. 2.) cap. VI. ubi confirmatum daemones corpora assumentes figura humana in aquis apparere solitos.

CONCLUSIO II.

Quaedam Nympha in mari se videndam praebens est piscis.

Evidens est 1.) ex cap. IV. & V. ubi existentia animalium marinarum, fabricam & figuram corporis humani imitantium probatur. 2.) cap. itidem VI. quod hic universalitatem tollit. *Judicium igitur in exemplis judicandis adhibendum.*

F I N I S.

Q 116 1024

Ne vacuum sit: *Ne vacuum sit: non*

ATHANASIUS KIRCHERUS in Mundo subterr. Tom. II. p. 418. & Arte Magnetica speciatim Magnetismo Plantarum, qui continetur lib. III. p. m. 503. experimentum ponit tale. *Colurna duabus furcis ad ignem imposita, statim sese in circulos in morem veru contorquebis. Hec res innotuit primum Romæ, famulis cujusdam Cardinalis, qui colurnis verubus, quas venatione ceperant aviculas infigentes, cum se ipsas unâ cum verubus movere adverterent, propediem me ad prodigiose operati- onis causam assignandam convenerunt. Ego, addit, experimentum faciens, veritatem quidem comperi, sed vim matricem, quam ipsi a vicula ex occulta quadam proprietate inesse putaverant, ego in coryli virga ejusq; naturali constitutione latere detexi.* Hanc rem ego Romæ tempore Kircheri non primum innotuisse dico. Superiori etiam seculo benè ejus conscius fuit CARDANUS, vid. ejus Lib. de Var. Rer. lib. VII. cap. XXXVI. p. m. 284. & MIZALDUS teste aphorism. suorum XXIV. Centu- riæ VIII. ubi: *Maximè mirandum est regulam aviculam veru ligneo per quam tenui in fixum, semetipsum torrere & convertere. Sed lignum, addit, illud ex corylo recenter extractum esse oportet. Quod ipsum ta- men, num eventui respondeat, tute videas. Mihi infelici periculum ejus variè facienti nondum innotuit. Interim, quid de eo & simili- bus statuendum sit, facile cuivis patet.*

An ne sibi met ipsi contrarius est, PETRUS LAUREMBERGIUS Passi- compl. cap. X. §. 2. p. 78. in his verbis? *Hoc non caret admiratione in humana facie vultuq; tantam agnosci diversitatem, ut inter tot millia hominum indiscretas effigies reperire non sit, aut rarissimè admodum sese occasio ostendat, nec ab mira- culo absit.* Hoc ego evidentissimis rationibus demonstrare possum 70434700 143269980 42660 66115775244398 384 9436717414400000000000. facies simul existere posse naturaliter, discretas, imò, etsi in se reducatur hic numerus de quo non inelegans quæstio institueretur, dico, tamen terminum possibilita- tis ad aliter existendum, nondum ponet. Assensum qui retinet, pau- cas pagellas, quæ in proutu sunt, typis describi cu-

ret evincam.

SOLI DEO GLORIA!



F I N I S

1017

h. e.





Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



J
fi
ea
b
fo
tu
er
g
u
fo

t
o
n
d
v
r
p
c
r
d
v

